DE

ANACOLUTHIS APUD ARISTOPHANEM

CAPITA QUINQUE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ADOLFUS BRINKMANN

WERNIGERODENSIS.

HALIS SAXONUM

MDCCCLXXXII.

Qui primus linguae Graecae proprietates a viris nomine anacoluthiarum comprehensis, de quibus autea ab Hermanno, Buttmanno, Matthiaeo in libris de tota lingua Graeca scriptis breviter, ut postulat eiusmodi librorum natura, dictum erat, separatim tractavit, Franciscus Richter Hagiopolitanus, quamquam multo uberius, quam umquam antea factum erat, de illa structura disseruit, tamen, quod et ex Homero et e scaenicis historicisque Graecorum scriptoribus exempla collegit, genera quidem anacoluthorum optime distinxit, singulorum autem scriptorum proprietates paucis tantum exemplis ex uno quoque depromptis non satis illustravit. Ac tamen haec ipsa dicendi ratio non solum ad totius linguae Graecae, sed etiam singulorum scriptorum naturam cognoscendam permultum valet. Quod cum ita sit, Richteri dissertationem non pauci libelli secuti sunt, quibus quomodo singuli scriptores anacoluthiis usi sint demonstratur. Inter hos autem libellos, quamquam scriptores et poëtae illustriores fere omnes, nonnulli etiam saepius excussi sunt, ne unus quidem invenitur, cuius scriptor Aristophanis usui anacoluthorum operam dederit.

Quamobrem, praesertim cum huius poetae dicendi usum iam antea observare incepissem, nunc quae anacolutha in comoediis, quae inter splendidissima totius antiquitatis opera praestantissimaque ingenii Graecorum testimonia iure numerantur, adhibuerit, demonstrare operae pretium esse arbitratus sum. Dicat fortasse aliquis, rationem dicendi Aristophanis, quippe qui sermonem familiarem secutus pro-

prium dicendi genus, ut Aeschylus, Thucydides, alii, sibi non quasi procreaverit, vix dignam esse, in quam penitus inquiratur. Sed parum probabilis esset haec argumentatio. Nam etiamsi Aristophanes sine ulla arte sermone familiari usus esset, munus gratum esset atque opera dignum, huius ipsius sermonis naturam et proprietatem investigare. Quanto magis autem hoc ita se habere putas, cum fieri non potuerit, quin Aristophanes aliquantum ingenii quo floruit excellentissimi sermoni illi quotidiano admisceret.

Cum igitur anacoluthias in illis fabulis colligere et ordine probabili, quantum possem, disponere et illustrare constituerem, non inutile negotium me suscepturum esse putavi. Spero autem, me id effecturum esse, ut diversa anacoluthorum genera, quae apud Aristophanem inveniuntur, sub uno aspectu posita perspicue cognoscantur et cum ceteris scriptoribus de quibus eadem quaestio iam instituta est, facile comparentur, quae ratio ad linguae Graecae historiam accurate perspiciendam summi momenti est.

Priusquam autem ad rem ipsam transeam, libros enumerare liceat, qui de anacoluthis scripti sunt, ut quid in his structuris explorandis et illustrandis adhuc praestitum sit cognoscatur.

1. Fr. Richter: de praecipuis Graecae linguae anacoluthis, Hagiopoli 1827 et 1828.
2. Wannowski: syntaxeos anomalae Graecorum pars de constructione quae dicitur absoluta deque anacoluthis huc pertinentibus Lips. 1835.
3. Ad. Laun: de anacoluthia in Homeri carminibus diss. inaug. Gottingae 1831.
4. Wilh. Engelhardt: anacoluthorum Platonicorum specimm. III. Gedani 1834, 1838, 1845.
5. Lud. Benloew: de Sophocleae dictionis proprietate cum Aeschyli Euripidisque dicendi genere comparata. Lutet. Paris. 1847.

6. L. Struve: de dictione Sophoclis. diss. inaug. Berolini 1854.
7. Grüter: Ueber die Synesis oder Construction nach dem Sinne in der lat. u. griech. Sprache. Progr. Münster.
8. Henricus Hartz: de anacoluthis apud Aeschylum et Sophoclem. diss. inaug. Berolini 1856.
9. Ebhardt: de anacoluthorum usu in scriptis Graecorum, ind. schol. gymnas. Dillenburg 1860.
10. Erdmann: De Pindari usu syntactico. Hal. Sax. 1867.
11. Melander: de anacoluthis Herodoteis diss. inaug. Lund. 1868/69.
12. P. Kampfner: De anacoluthis apud Thucydidem diss. inaug. Monasterii 1868.
13. Storch: syntaxeos Pausanianae partic. I de anacoluthis. diss. inaug. Vratislav. 1869.
14. Fries: De anacoluthis Sophocl. diss. inaug. Vratislaviae 1870.
15. Joh. Wrobel: de generis, numeri, casuum anacoluthia apud Graecos poëtas tragicos. Berolini 1872.
16. Fr. Ad. Müller: observationes de elocutione Lysiae partic. I de anacoluthis. Hal. Saxon. diss. inaug. 1877.
17. Wilpert: de schemate Pindarico et Alcmanico, diss. inaug. Vratislaviae 1878.
18. R. Koch: de anacoluthis apud Euripidem capita selecta quinque. Halis Saxonum 1881.

Quorum librorum capita ad rem pertinentia, ubicumque ad mea exempla magis illustranda utile mihi videbitur, indicare non omittam; alias commentationes a me adhibitas suo quamque loco commemorabo. Inter libros denique de tota Graecorum grammatica scriptos, quamquam omnes, qui alicuius momenti sunt, inspexi, tamen in primis Kühneri

opus quod inscribitur: Ausführliche Grammatik der Griechischen Sprache (Hannover 1869—1872) secutus sum, non quo sententiae eius prababiliores mihi videantur, sed quod propter copiam cum exemplorum tum librorum ad rem spectantium, quos diligentissime ille vir doctus indicavit, is qui singulas res accuratius cognoscere velit, capitibus huius libri inspectis optime suo iudicio uti potest.

De anacolutho in universum.

De anacoluthorum natura, origine, finibus, omnes homines docti, qui de Graecorum lingua scripserunt, verba fecerunt; neque tamen eandem protulerunt sententiam. At quid singuli de hac re iudicaverint, quippe quod ab unoquoque, qui de anacoluthis scripsit, in primis a W. Engelhardt (l. c. spec. I 1834) Fries (l. c. init.) Wrobel (l. c. praefat. p. 5—6.) satis explicatum sit, hic repetere supervacaneum est. Quamobrem quae mea de huius structurae origine et finibus sententia sit breviter exponam.

Atque de origine Kühneri sententiam in libro supra memorato (§ 602) prolatam, anacoluthias et ex hominis cuiusque indole vel conditione, quod genus rhetoricum appellant, et ex Graecae linguae proprietate, quod grammaticum vocant, et neglegentia quadam scriptoris natas esse, quam Kampfnerus, Friesius, Hartzius alii exemplis in libris quos supra commemoravi diligenter ex singulis scriptoribus collatis confirmaverunt, iis quoque anacoluthiis, quas ipse apud Aristophanem inveni, probari contendo, quamquam genus quod vocatur rhetoricum perraro apparet.

Quod ad fines notionis anacoluthiae attinet, virorum doctorum definitio, anacoluthiam esse talem verborum structuram, quae aliter exeat, quam pro grammaticae legibus ex initio eius expectetur, iam Richtero (in libri s. c. praefatione) minus circumscripta visa est, quoniam, si recte se haberet,

etiam attractionis non pauca genera in anacoluthiis numeranda essent. Definitio, quam ipse proponit, (pag. 2.) mihi ita probabilis videtur, ut vix habeam quod addam. Simplicitate enim et perspicuitate nulla alia superatur et ne Kühnerus quidem in novissima libri sui editione ab ea recedit. Quamobrem non dubito, eam tamquam meam ipsis verbis hic repetere. Dicit igitur Richterus, anacoluthon talem esse verborum structuram, quae non ad vere prolatas orationis partes, sed ad cogitatum aliquid illarum consimile instituta aliter procedat, quam pro grammaticae legibus ex initio eius expectes.

Haec hactenus de anacolutho in universum. Transeamus nunc ad exempla quae in comici nostri fabulis inveniuntur.

Anacoluthiae generis, numeri, casuum, personae.

Adiectivum substantivi, cui additum est, et genus et numerum et casum, verbum subiecti et personam et numerum sequi ea lex est, quae, ubicumque oratio grammaticam rationem sequitur, numquam neglegitur [1]). Anacolutha igitur oriuntur, sicubi adiectiva, quibus participia et pronomina annumeranda sunt, et verba a substantivis pendentia aliter terminantur atque illorum genus, numerus, casus, persona postulant.

Caput I
Anacoluthiae generis.

§ 1.

Nomina adiectiva, cum significationum substantivorum quasi complemento sint, generis designationem nacta sunt, quamobrem non solum numero et casu, sed etiam genere substantivi vel pronominis quasi principatum demonstrant. Anacoluthia igitur exoritur, ubi haec ratio neglecta est.

---

[1]) Vid. Kühner: Gram. Graec. § 359 init.

Quod nonnumquam accidit. Fieri enim potest, ut vocum adiectivarum genus non ad genus grammaticum, sed ad genus naturale accommodatum sit, quae ratio construendi structura *κατὰ σύνεσιν* appellatur[1]) Atque apud alios poetas, in primis apud tragicos, eiusmodi anacolutha frequentiora obveniunt (vid. Wrobelii dissertationis supra commemoratae pagg. 9 sqq., unde plurima exempla apud Euripidem inveniri apparet, et Hartzii opusculi pag. 14.) E Pindari carminibus Erdmannus in libro, quem scripsit de usu illius poetae syntactico, non pauca exempla eiusdem structurae collegit et tractavit[2]), quae ne a scriptoribus quidem abesse Grüterus[3]) locis ex Isocratis et Platonis et Thucydidis, Müllerus[4]) e Lysiae, Storchius[5]) e Pausaniae scriptis allatis ostenderunt.

Apud Aristophanem haec anacoluthia perraro invenitur. In affirmativis quae vocantur enuntiatis ne unum quidem exemplum exstat, nam in Vesp. vv. 687 sq.[6]) ubi Bdelycleo patri munus iudicandi invisum facere conatur, paucis obolis eum puerulis nobilibus et dissolutis cum ignominia servire demonstrans, in verbis: *ὅταν εἰςελθὸν μειράκιόν σοι κατα-πῦγον, Χαιρέου υἱός, | ὡδὶ διαβάς, διακινηθεὶς τῷ σώματι καὶ τρυφερανθείς, | ἥκειν εἴπῃ* statuere licet, participia *διαβάς, διακινηθείς, τρυφερανθείς* ad appositionem *υἱός* pertinere.

---

[1]) cf. Kühner l. c. § 359., 1. Ceterum haec anacoluthia non unius linguae Graecae propria, sed cum in lingua Latina invenitur, (cf. Grüteri libellum: über die Synesis oder Construction nach dem Sinne in der lat. und griech. Sprache) tum apud nostros poetas usitatissima est. Saepius in Lessingii nostri fabula quae inscribitur: Minna von Barnhelm invenitur, ut V. 3; praeclara exempla etiam in Schilleri carmine: Das Mädchen aus der Fremde exstant.

[2]) pag 1 sq.

[3]) l. c. pag 1.

[4]) l. c. pag 16.

[5]) l. c. pag 36.

[6]) In locis numerandis hanc rationem secutus sum, ut in fabulis integris Bergkii editionem Teubnerianam alteram, in fragmentis Dindorfii Poetarum scaenicorum Graecorum editionem quintam adhiberem.

A nonnullis viris doctis ii quoque loci similiter formati inter anacolutha numerati sunt, in quibus compellatio in vocativo posita inest. Wrobelius quidem, qui primus accuratius de hac structura a tragicis poëtis adhibita disputavit, omnes eos locos anacolutha esse contendit, in quibus exempli causa *τέκνον* vel *τέκνα* substantivum non sit appositionis vel praedicati loco interpositum, sed ita positum, ut sit personae masculini plerumque generis appellatio[1]). Sed appellatio, quae non nisi in vocativo posita esse potest, appositio esse nequit, sed extra structuram est[2]). Quamobrem anacoluthia ibi tantum statuenda est, ubi adiectivum vel participium attributi loco ita cum vocativo coniunctum est, ut genus a vocativi genere abhorreat, quod in hoc uno loco inveni Ach. v. 872: *ὦ κολλιφάγε Βοιωτίδιον*; omnibus aliis locis adiectivum nominis appellativi genus sequitur, ut Nub. 746 *ὦ Σωκρατίδιον φίλτατον*.

Omnes alii autem loci, quos huc pertinere fortasse aliquis putaverit, alia ratione explicandi sunt, illos dico, in quibus persona, cui adiectivum vel participium adiunctum est, voce neutrius generis compellatur, ut Vesp. 655, quo versu Bdelycleo patrem compellat: *ἀκρόασαι νῦν, ὦ παππίδιον, χαλάσας ὀλίγον τὸ μέτωπον*. Nam in talibus locis adiectivum vel, ut supra indicavi, participium non appositionis vel praedicati loco vocativo additum esse statuendum est, sed pronomini in verbo latenti, ut in exemplo allato participium *χαλάσας* non ad *παππίδιον* referendum est, sed ad pronomen *σύ*, quod in verbo *ἀκρόασαι* inest. Similiter reliqua quae notavi exempla formata sunt. In plerisque appositio est participium; quae sunt: Vesp. 448. Philocles servum obiurgat verbis: *οὐκ ἀφήσεις οὐδὲ νυνί μ' ὦ κάκιστον θηρίον;'*, *οὐδ' ἀναμνησθείς* .... Pac. 76 sq. *ὦ Πηγάσειον, φησί, γενναῖον πτερόν, ὅπως πετήσει μ' εὐθὺ τοῦ Διὸς λαβών*, quibus

[1]) l. c. pag 10.

[2]) vid. Kühner. § 357, 1.

verbis Trygaeus cantharum compellat. Simile exemplum est in Thesm. v. 1203: *ἀπότρεχε παιδάριον τουτί λαβών.* Av. 87 verbis *ὦ δειλότατον σὺ θηρίον, δείσας ἀφῆκας τὸν κολοιόν* Euelpides compellatur.

In versu eiusdem fabulae 366 upupa chorum avium interrogat: *εἰπέ μοι τί μέλλετ', ὦ πάντων κάκιστα θηρίων, | ἀπολέσαι παθόντες οὐδέν.* Eccl. 1045 sq. puella compellatur verbis: *κεχάρισαί γέ μοι, | ὦ γλυκύτατον, τὴν γραῦν ἀπαλλάξασά μου.* Plut. 292 sq. Cario adhortatur agrestes: *ἀλλ' εἶα τέκεα θαμίν' ἐπαναβοῶντες βληχώμενοί τε προβατίων | .... | ... μέλη, | ἕπεσθ' ἀπεψωλημένοι.*

Eadem structura praeterea apparet in duobus locis, ubi tamen persona vel res, quae tamquam persona compellatur vocativo, circumlocutione ita exprimitur, ut vox, quae caput notionis significat, in genetivo apponatur. Alter exstat in initio Ecclesiazusarum, ubi Praxagora lucernam alloquitur: *ὦ λαμπρὸν ὄμμα τοῦ τροχηλάτου λύχνου | κάλλιστ' ἐν εὐσκόποισιν ἐξηρτημένον | .... | τροχῷ γὰρ ἐλαθεὶς ... ἡλίου τιμὰς ἔχεις* e. q. s. Hic igitur in oratione procedente adiectiva et participia *πλησίος,* (v. 9) *μόνος, ἀφεύων,* (v. 12) *συνδρῶν* (v. 16) ad genus genitivi *λύχνου,* non vocativi *ὄμμα* referuntur; alter invenitur in Avium vv. 250 sq. *ὧντ' ἐπὶ πόντιον οἶδμα θαλάσσης | φῦλα μετ' ἀλκυόνεσσι ποτᾶται, | δεῦρ' ἴτε πευσόμενοι τὰ νεώτερα,* ubi participium *πευσόμενοι* genus sequitur substantivi *ὄρνιθες,* quoniam aves compellantur.

Alia huius structurae exempla mihi non obvenerunt, propterea opinor, quod tales circumlocutiones cothurnum magis decent et gravitatem Homeri[1]), quam soccum et orationis familiaris simplicitatem. Atque ipsos illos quos attuli locos tragicum colorem habere nemo non videt.

Adiectivum inveni uno in versu Pac. 111, ubi servus Trygaei liberis patrem cantharo elatum abire pronuntiat:

---

[1]) cf. Richter l. c. § 27. Wrobel l. c. § 4. Krüger gr. gr. 58. 1 a. 2. Grüter l. c. p. 5. Fritzsche annot. ad. Thesm. v. 1062.

ὦ παιδί', ὁ πατὴρ ἀπολιπὼν ἀπέρχεται | ὑμᾶς ἐρήμους, pronomen Thesm. 1062. ἀλλ', ὦ τέκνον, σὲ μὲν τὸ σαυτῆς χρὴ ποιεῖν[1]) ubi σαυτῆς ad pronomen σὲ pertinet, quippe quod ad fictam Andromedam dictum generis feminini sit.

Praeter hos locos, qui, quamquam omnes memorabiles sunt, tamen, ut dixi, praeter unum non sunt anacolutha, hoc loco structura re vera anacoluthice formata tractanda est, quae non tam ad constructionem κατὰ σύνεσιν quam ad neglegentiam poetae revocanda est. In parabaseos enim Thesmophoriazusarum vv. 798 sq. chorus mulierum haec de se dicit: κἂν ἐκ θυρίδος παρακύπτωμεν, τὸ κακὸν ζητεῖτε (θεᾶσθαι) | κἂν αἰσχυνθεῖς' ἀναχωρήσῃ, πολὺ μᾶλλον πᾶς ἐπιθυμεῖ | αὖθις τὸ κακὸν παρακύψαν ἰδεῖν; hoc in enuntiato participium αἰσχυνθεῖσ' non ad τὸ κακόν referendum est, sed poeta femininum posuit, tamquam si antea non παρακύπτωμεν dixisset, sed: κἂν ἐκ θυρίδος ἡμῶν τις παρακύπτῃ.

Jam pauca exempla, in quibus articuli et substantivi generis discrepantia apparet, huic capiti annectere fortasse non ineptum est, praesertim cum articulum pronomen esse et forma atque origo et potestas demonstrent: quamquam dubitari posse concedo, num his structuris anacoluthorum nomen tribuere liceat. Thesm. 535 mulier Thesmophoriazusas vituperat, quod a Mnesilocho maledictis obrui se patiantur: ταύτην ἐᾶσαι τὴν φθόρον τοιαῦτα περιυβρίζειν. Simili modo ab aliis quoque poetis eiusmodi substantiva masculini generis, quae abstracta a nobis vocantur, cum articulo feminini generis coniuncta ad femininum antecedens referuntur[2]).

Ad aliam rationem referenda est structura Thesm. 394: τὰς οὐδὲν ὑγιές, τὰς μέγ' ἀνδράσι κακόν, ubi ad sententiam

[1]) Ravennatis scripturam τοσαύτης emendavit Dindorfius.

[2]) cf. Lobeck ad Aiac. p. 275 et Kühner § 405 extr., Hermann, app. ad Vig. II p. 932 sq. et ibid. IV p. 930—931.

explendam participium οὔσας vel δρώσας subaudiendum est.[1]) Aristophanes enim, ut epitheta ab Euripide saepe adhibita eadem forma repeteret, ludibrii causa hanc licentiam sibi sumpsit. Hac ratione Godofredus Hermannus l. c. exemplum etiam priore loco memoratum (τὴν φθόρον) et nonnulla similia explicari vult. Sed ex tribus exemplis, quae proposuit, ea tantum, quae e Pindari Pyth. IV v. 443 et Euripidis Iphigenia Aulide (v. 794) sunt deprompta, quippe in quibus substantiva, de quibus agatur, appositionis loco posita sint, non tamen nostrum locum illo modo intellegi posse censeo.

Denique commemoratione non indigna sunt duo nomina personalia, quae, quamquam omnibus aliis locis masculini generis sunt, ab Aristophane per iocum, ut videtur, articulo feminino coniuncta ad femininas pertinent. Haec sunt: ἡ στρατηγός Eccl. 491. 500. 727[2]) et ἡ κιθαρῳδός Eccl. 739, quod alibi non exstat[3]) praeter Alciphronem (3,33) qui habet: κιθαρῳδός γυνή.

Neque vero huc pertinent formae numeri dualis τώ, τοῖν, τώδε, τοῖνδε, τούτω, τούτοιν cum nominibus feminini generis coniunctae; sunt enim generis communis.[4])

§ 2.

Non desunt apud comicum nostrum exempla, in quibus voces adiectivae neque naturale substantivorum genus sequuntur neque grammaticum.

Cuius generis anacoluthiae apud tragicos poetas saepius inveniuntur, e quibus Wrobelius (l. c. pag. 19 sqq.) non paucas collegit. Haec exempla plerumque ita formata

---

[1]) vid. Blaydes ad h. l. et cf. Oscar Erdmann, de Pind. us. synt. p. 1.

[2]) Unum praeterea exemplum apud Manuelem Philem Ephesium invenitur in Bandin. Bibl. Med, vol. 2 pag. 149 σοὶ τῇ στρατηγῷ τῶν βροτῶν ὑπερμάχῳ (Henr. Steph. thes. Graec. ling. VII. p. 845.)

[3]) v. Henr. Steph. l. c. s. v.

[4]) v. Kühner. § 398 ann. 2.

sunt, ut canonem illum Dawesianum[1]) illustrent: si mulier de se loquens pluralem adhibet numerum, genus etiam adhibet masculinum. Si masculinum adhibet genus, numerum etiam adhibet pluralem. Sed talis structura mea quidem sententia in Aristophanis fabulis omnino non extat, quamobrem ad eam explicandam Wrobelii l. c. et Kühneri § 371, 2 et Hermanni ad Vigerum annotationem p. 715, 50 indicare satis habeo. Unus locus, Eccl. v. 30 sq., in quo participii masculini generis persona prima ad femininum pertinet, utrum ratione canonis Dawesiani formatus sit necne viri docti dissentiunt. Postquam Praxagora socias diu frustra expectavit, tandem una ex his in scaenam prodit haec dicens: *ὥρα βαδίζειν, ὡς ὁ κήρυξ ἀρτίως | ἡμῶν προςιόντων δεύτερον κεκόκκυκεν.* Quomodo locus intellegendus sit difficile est diiudicatu; cohaerit haec quaestio cum altera, cui illi versus tribuendi sint. Codicum scripturam *προςιόντων* editores longe plurimi retinuerunt; [Abreschius (ad Aristaen. Ep. I 5) in *προϊόντων* mutavit]. Quae verba tradita si genuina esse censemus, plures sententiae inter se discrepantes admitti possunt. Vulgatam enim personarum distributionem secuti versus 30—31 uni mulieri, quae littera A significatur, tribuere possumus, si statuimus, hanc solam advenire et postea demum reliquas alteram post alteram, donec choreutarum numerus completus sit, in scaenam procedere. Quod si statuimus, structura canonem sequitur Dawesianum, id quod a Kühnero (l. c. § 371. 2) probatur. At huic opinioni repugnat compellatio a Praxagora adhibita *ὑμᾶς* (v. 22). Quamobrem Bergkii sententiam probabiliorem esse puto, qui versus illos ad chorum vel potius ad chori partem refert, quam mulieres esse urbanas, quas rusticae postea demum sequantur, non male coniicit. Neque ab hac sententia discrepant vv. 27 sqq. *ἀλλ' ὁρῶ τονδὶ λύχνον*

---

[1]) vid Miscel. crit p 310 et Porson ad Eurip. Hec 509.

προσιόντα: nam etiam pluribus, dummodo una veniant, unam lucernam sufficere per se patet. Jam vero, nisi cum Bentleio aliisque masculinum *προςιόντων* in femininum *προςιουσῶν* mutandum esse censemus, statuendum erit (quamquam alia huius modi exempla mihi non innotuerunt), poetam hoc loco pluralem numerum masculini generis pro plurali feminini generis usurpavisse, chori mulieres non nisi in universum ut homines significantem.

Singularis vero masculini pro singulari feminini generis nonnumquam ab Aristophane positus est, ut mirum in modum in iisdem Ecclesiazusis, v. 483, ubi chorus mulierum singulam quamque ex caterva ut, quo facilius viri esse videantur, terram vehementer pedibus pulsent, adhortatur verbis: *ἀλλ' ὡς μάλιστα τοῖν ποδοῖν ἐπικτυπῶν βάδιζε.* [1]) Blaydesius nimis violenter *κτυποῦσά μοι βάδιζε* vel *ἐπικτυποῦσα χώρει* emendare vult; sed librorum scripturam retinendam puto; fortasse anacoluthia ita explicanda est, ut cum in aliis huius chori partibus (vv. 481. 485. 487.) femininum exstet, poetae animo obversata sit sententia: viri instar pedibus terram pulsans.

Versum Thesm. 285, quo Mnesilochus mulieris persona indutus de se dicens genere feminino utitur et quae sunt generis eiusdem huc non spectare per se patet[2]).

Aliter res si habet de vocativis *τάλαν* et *μέλε*, quibus apud comicum saepins mulieres compellantur. Atque *τάλαν* hoc modo usurpatur in vv. Lys. 102. Ran. 559. Eccl. 124. Plut. 706. 1055, *μέλε* in vv. Lys. 56, 157, Eccl. 120. Poeta his locis genere neglecto personam significasse satis habebat,[3]) quamobrem Fritzschius (ad Ran. 559) non inepte *τάλαν* vertit: du armes Wesen.

---

[1]) cf Wrobel l c. p. 25 extr.

[2]) In Eccl. vs. 172 Praxagora personam viri susceptam male tuetur; quamquam ob id ipsum ceteras mulieres saepe vituperat. cf etiam v. 285 sq.

[3]) cf Krüger Gr Spr. II 22, 6. 5.

§ 3.

Anacoluthia generis etiam iis locis efficitur, ubi pronomen neutrius generis ad substantivum masculini aut feminini generes refertur; quod si fit, substantivi notio ut universa et parum definita significatur.

Tales structurae apud ceteros poetas mihi non innotuerunt, apud scriptores autem saepenumero eas adhibitas esse et Krügerus (I § 58, 3 ann. 6) et Kühnerus (§ 361) exemplis cum e Xenophontis, Thucydidis, Herodoti, Demosthenis, Isocratis, tum maxime e Platonis scriptis collatis satis demonstraverunt, unde apparet, praecipue orationis solutae eas fuisse proprias. Apud Aristophanem haec exempla inveniuntur. In Pac. vv. 25 sq. *τοῦτο δ'ὑπὸ φρονήματος | βρενθύεται* grammatica lex postulat *οὗτος*, cum significetur *ὁ κάνθαρος*; dicit autem servus cum indignatione *τοῦτο*, in mente habens *θηρίον* vel *κνώδαλον* vel simile quid. Similiter cum contemptione quadam neutrum usurpatur in v. Nub. 201 *τουτὶ δὲ τί*: ***ΜΑΘ.*** *γεωμετρία.* ***ΣΤΡ.*** *τοῦτ' οὖν τί ἐστι χρήσιμον*; Av. 377. *ἡ γὰρ εὐλάβεια σώζει πάντα. παρὰ μὲν οὖν φίλου | οὐ μάθοις ἂν τοῦθ'*). Insigne exemplum esset v. Eq. 1320: *τίν' ἔχων φήμην ἀγαθὴν ἥκεις, ἐφ' ὅτῳ κνισῶμεν ἀγυιάς*; nisi *ὅτῳ*, quod Kockio quidem non displicet et mihi quoque probabilius videtur, ad totam enuntiationem referendum esset.[2])

Unum denique exemplum notavi, in quo *τοῦτο* ad alius generis pluralem pertinet: Lys. 358. *θώμεσθα δὴ τὰς κάλπιδας χἠμεῖς χαμᾶζ', ὅπως ἂν | . . . μὴ τοῦτο μ'εμποδίζῃ.*

Pronomen plurale *ταῦτα* ad pluralem masculini et feminini generis spectat in vv. Vesp. 717 *ἔδοσαν μεδίμνους | .. καὶ ταῦτα ἔλαβες*, et Lys. 582 sq. (*ἐχρῆν*) *καὶ νὴ Δία τάς γε πόλεις, ὁπόσαι τῆς γῆς τῆσδ' εἰσὶν ἄποικοι, | διαγιγνώσκειν ὅτι ταῦθ' ἡμῖν ὥσπερ τὰ κατάγματα κεῖται*, ubi tamen cf. Blaydesii annotionem.

---

[1]) v. Krüger Gr. Gr. 58,2a 6—7. et Blaydes ad h. l.

[2]) cf. Richter d. pr. anae spec. II. p 9. extr.

Annot: Ubi poeta praedicatum liberiore quodam modo ad subiectum referre voluit, huius genere plane neglecto adiectivum praedicati locum tenens in singulari neutrius generis apposuit. Cuius modi exempla, quibus omnibus sententia quaedam communis exprimitur,[1]) apud Aristophanem haec sunt: Vesp. 27. *δεινόν γέ που 'στ' ἄνθρωπος ἀποβαλὼν ὅπλα.* ibid. 834. *ὡς δεινὸν ἡ φιλοχωρία.* Eccl. 115. *δεινὸν δ' ἐστὶν ἡ μὴ 'μπειρία.* ibid. 236. *χρήματα πορίζειν εὐπορώτατον γυνή.* Plut. 35. sq. *τὸν δ' υἱὸν . . . εἶναι πανοῦργον, ἄδικον, ὑγιὲς μηδὲ ἕν;* ibid. 203. *δειλότατόν ἐσθ' ὁ πλοῦτος.* Ach. 1116. *πότερον ἀκρίδες ἥδιόν ἐστιν ἢ κίχλαι;* Plut. 782. *ὡς χαλεπὸν οἱ φίλοι.*[2]) Fischerus (ad Arist. Plut. v. 782.) et Hoogeveenus (ad Vig. p. 63) ad eiusmodi neutra substantiva *χρῆμα, πρᾶγμα* aut pronomen *τι*, quae voces nonnumqnam additae sunt, subaudiri voluerunt. Hodie in neutro ipso generalem illam notionem inesse inter omnes constat.

Caput II.

Anacoluthiae numeri.

Omnes voces, quae praeter substantivum et pronomen personale numerum habent, formam huius numeri ad substantiva aut pronomina sua accommodent necesse est, qua lege neglecta anacoluthia numeri exritur. Huius egitur anacoluthiæ generis quae sint apud comicum exempla nunc videamus.

I. Pluralis numerus pro singulari usurpatur.

§ 4.

Pars anacoluthorum huc spectantium structura *κατὰ σύνεσιν* supra iam memorata efficitur, quae exempla hic quoque primo loco afferre liceat. Sed non ita multa apparent; adiectivorum enim participiorumque pluralia ad sub-

---

[1]) Kühner § 360 mit. Madv. synt. § 1b a 3; cf. etiam Wrobel l. c p. 8.

[2]) cf, Richter l. c. § 36.

stantivorm singularia pertinentia plane desunt, verbo autem natum hoc unum mihi obvenit: Eccl. v. 431 Chremylus, quae in contione facta sint, enarraus dicit: *εἶτ' ἐθορύβησαν κἀνέκραγον ὡς εὖ λέγοι | τὸ σκυτοτομικὸν πλῆθος.*

Vix inter anacoluthias numerandus est Vesp. v. 223 *τὸ γένος ἤν τις ὀργίσῃ | τὸ τῶν γερόντων, ἐσθ' ὅμοιον σφηκιᾷ. | ἔχουσι γὰρ καὶ κέντρον*; oratio enim genetivo *γερόντων* in pluralem numerum traducitur; neque alia ratio obtinere videtur in vv. Av. 1694 sqq: *ἔστι δ' ἐν Φαναῖσι . . . | . . . πανοῦργον ἐγ - | γλωττογαστόρων γένος, | οἳ θερίζουσιν* e. q. s., ubi verbi pluralis ad pluralem *ἐγγλωττογαστόρων* referendus est).

Frequentiora sunt huius generis exempla, ubi substantivi collectivi singularis vocativus cum imperativi persona altera pluralis numeri couniunctus est. Av. v. 1706: *ὦ τρισμακάριον πτηνὸν ὀρνίθων γένος, | δέχεσθε τὸν τύραννον*, quos versus et qui sequuntur, tragici coloris esse et fortasse ex tragoedia aliqua desumptos aut adumbratos Blaydesius recte annotat.

Ran. 240 sq. *ἀλλ' ὦ φιλῳδὸν γένος, | παύσασθε.* Eccl. 205: *ὑμεῖς γάρ ἐστ', ὦ δῆμε, τούτων αἴτιοι.* Praeterea affero Eq. v. 810 et Plut. v. 601, ubi verba *ὦ πόλις Ἄργους κλύεθ' οἷα λέγει*, a poeta nostro ex Euripidis fabula, quae inscripta fuit „Telephus" ludibrii causa deprompta sunt[2]). — Ut apud Euripidem, similes anacoluthiae etiam apud ceteros poetas et tragicos et Homerum exstant[3]) nec non a scriptoribus admissae sunt[4]). — Eae etiam structurae communis sunt sermonis Graeci, in quibus pronominum et verborum pluralis numerus ad pronominum copiam significantium numerum singularem refertur [5]). Huiusmodi pronomina sunt apud Aristophanem: *ὅστις, ὅς ἄν, πᾶς τις*, prae-

---

[1]) cf Wrobel l. c. p. 36 ad Aeschyl. Suppl v. 136.

[2]) v. Kock ad Eq. 813.

[3]) Wrobel p. 36 sq. Kühner § 359 2.

[4]) Kühner loc. c. Grüter l. c. § 6 sq.

[5]) vid. Wrobel p. 39 sq. Grüter § 16. Kühner § 359, 3 c β.

terea, quae ad eandem rationem pertinet, coniunctio *εἴ τις.* Eccl. 687. *ὅτῳ δὲ τὸ γράμμα | μὴ 'ξελκυσθῇ καθ' ὃ δειπνήσει, τούτους ἀπελῶσιν ἅπαντες.* Av. 1115. *ὑμῶν ὃς ἂν μὴ μῆν' ἔχῃ, | ὅταν ἔχητε χλανίδα λευκήν, τότε μάλισθ' οὕτω δίκην | δώσεθ'.* Licet quidem enuntiationem hoc modo intellegi; quamquam mihi probabilius ita videtur explicari, ut poetam protaseos pronomine *ὃς* incohatae oblitum in apodosi formanda alterius tantum protaseos: *ὅταν ἔχητε χλανίδα λευκὴν* rationem habuisse statuamus. Reliqua exempla sunt: Nub. 1135 *πᾶς γάρ τισ ὀμνύσ', οἷς ὀφείλων τυγχάνω | .. ἀπολεῖν μέ φησι.*

Av. 526 sq. *πᾶς τις ἐφ' ὑμῖν ὀρνιθευτὴς | ἵστησι βρόχους, παγίδας, ῥάβδους | . . . | εἶτα λαβόντες πωλοῦσ' ἀθρόους.*

Lys. 581. *κεἴ τις ὀφείλῃ τῷ δημοσίῳ, καὶ τούτους ἐγκαταμῖξαι.*

Eccl. 679 sp. *κεἴ τις δειλὸς γεγένηται, | ἵνα μὴ δειπνῶσ' αἰσχυνόμενοι.*

Ann.: Speciem anacoluthiae nonnumquam ea exempla habent, in quibus pronomen *ἕκαστος, ἑκάτερος* similia cum verbi plurali numero coniuncta sunt. Quae pro veris anacoluthis cave habeas. Nam illa pronomina quippe appositionis loco quae vocatur distributivae substantivis apposita verbum finitum non regunt[1]). Cuius modi duo apud Aristophanem exempla exstant, unum in Babyloniis ab Athenaeo (III pag. 86 sq.) servatum (fragm. 49 Dind.): *ἀνέχασκον εἷς ἕκαστος ἐμφερέστατα | ὀπτωμέναις κόγχαισιν ἐπὶ τῶν ἀνθράκων*, alterum in Ecclesiazusis, v. 207 *ἰδίᾳ σκοπεῖσθ' ἕκαστος, ὅτι τις κερδανεῖ.*

§ 5.

Ad aliam rationem illa exempla revocanda sunt, in quibus neutrum adiectivorum et pronominum in plurali numero positum ad unam vocem et notionem pertinet:

---

[1]) Kühner § 406,7. Krüger I § 58. 4 Ann. 5.

quae quamquam in anacoluthorum quae proprie dicimus numero haberi vix possunt, tamen hic tractare mihi liceat.

Neutrius enim pluralis natura ea est, ut totum potius, quod pluribus partibus coniunctis efficitur, quam ipsae partes eo significentur), quo factum est, ut verbi finiti quod vocatur non nisi singularis cum eo coniungi soleat. Quid igitur mirum, quod scriptores, quibus haec complectendi notio ante oculos versabatur, usus illius fines propagantes adiectiva quoque, in primis autem pronomina, ad singularem numerum interdum rettulerint[2]). Non multum quidem differre inter neutrum pronominis singularis numeri et pluralis nonnulla exempla [demonstrant, in quibus utrumque ad unam atque eandem notionem pertinet, ut Ran. 1065, 1112, Eccl. 472 alia. At hic usus non Aristophanem unius, sed, id quod ex iis quae supra dixi non mirum videbitur, totius linguae Graecae proprius est[3]), quamquam apud scriptores rarius obvenit[4]).

Videamus autem, quae singula sint apud comicum huius generis anacolutha.

a. Pronomina.

1) neutrum plurale spectat ad substantivum singulare[5]).

Ach. 1127. *ταῦτ' οὐ πλακοῦς δῆτ' ἐστὶν ἀνθρώπους γλυκύς*; ubi *ταῦτα* etiam ludendi causa positum est. Postquam enim Lamachus versu autecedente dixit: *ταῦτ' οὐ κατάγελώς ἐστιν ἀνθρώποις πλατύς*; ubi *ταῦτ'* ludificationes a Dicaeopolide antea prolatas comprehendit, hic ipse quoque pronomine *ταῦτ'* enuntiationem incipit, quamquam, cum

---

[1]) cf. Kühner § 364

[2]) ib. § 366 ann.

[3]) vid. Kühner § 366 Krüger I § 44. 4. II § 44. ann. 8–10.

[4]) Krüger l. c. annot. 11.

[5]) cf. Richter l. c. § 34b.

non nisi ad πλακοῦς referri possit, legi grammaticae repugnat[1]).

Simili modo numeri concentus claudicat in v. Ach. 438: κἀκεῖνά μοι δὸς τἀκόλουθα τῶν ῥακῶν, | τὸ πιλίδιον. Vesp. 1143, ubi ταῦθ' ad unam vestam, quam antea περσίδα sive καυνάκην Bdelycleo appellavit, pertinet; Ran. 1466, in quo versu pronomen αὐτὰ ad πόρον referendum est. In his tribus exemplis neutris illis pluralibus genus potius rerum, quam ipsae res singulae, ad quas illa pertinent, significantur[2]).

2) neutrum plurale spectat ad unam notionem (saepissime ad infinitivum)[3]) quae in verbo enuntiationis antecedentis inest. Nub. 1079. sq. τάδ' ἀντερεῖς πρὸς αὐτόν, | ὡς οὐδὲν ἠδίκηκας. In Eq. v. 1019 ταῦτ' ad unam notionem σώζεσθαι (v. 1017) referendum est. In Nub. v. 1448 ταῦτ' ad νικήσειν pertinet. In Vesp. v. 369 ταῦτα ad διατραγεῖν relatum in notionem τοιαῦτα abit, de qua re cf. tria exempla supra allata. In v. Lys. 608 ταῦτα spectat ad infinitivum πάσχειν, in v. Ran. 610 ad infinitivum τύπτειν, in v. Eccl. 470 ad infinitivum κινεῖν.

Non raro ταῦτα, ad quod plerumque δράσω vel vimile verbum subaudiendum aut appositum est, ad praeceptum, quo quis unam quandam rem facere iubetur referendum est. Ach. 815 περίμεν' αὐτοῦ. ΜΕΓ. ταῦτα δή (scil δράσω). Eq. 111. Vesp. 142. 843. 851. 1008. Pac. 275 Lys. 506. Thesm. 1003.

---

[1]) ad hunc versum cf Nub. v. 1299 ταῦτ' οὐχ ὕβρις ἐστίν; et fragmentum a Polluce X. 109 relatum (Nr. 12 Diud.) οὔκ, ἀλλὰ ταῦτά γ' ἐπίχυσις τοῦ χαλκίου. Einsmodi structurae offensionem habere mihi non videntur. Nam cum assimilatio quae vocatur usitata quidem, sed non necessaria sit, (cf Kühner § 369, 2) quominus ταῦτα ad superiora referatur nihil obstat.

[2]) Kühner § 366 ann

[3]) cf. Madrig. synt. § 1. ann. 4. Richter l. c. § 34b, Erdmann de Pind. us. synt. p. 5. Krüger Gr. Spr. 44. 4. 2.

3) neutrum plurale spectat ad totam enuntiationem, qua una notio circumscribitur [1]).

Eq. 135 *κρατεῖν* (scil. *δεῖ τὸν ἀλλαντοπώλην*) *ἕως ἕτερος ἀνὴρ βδελυρώτερος αὐτοῦ γένοιτο. μετὰ δὲ ταῦτ' ἀπόλλυται. ταῦτ'* igitur ad illum statum rerum spectat, qui verbis *ἕως ἕτερος ἀνὴρ βδελυρώτερος αὐτοῦ γένοιτο* significatur. Jbid. 512. sqq. *ἃ δὲ θαυμάζειν ὑμῶν φησιν πολλοὺς αὐτῷ προσιόντας, | καὶ βασανίζειν, πῶς οὐχὶ πάλαι χορὸν αἰτοίη καθ' ἑαυτὸν, | ἡμᾶς ὑμῖν ἐκέλευε φράσαι περὶ τούτου.* In his verbis pronomen plurale *ἃ* ad unam notionem pertinet, quae expressa est verbis: *ὡς οὐχὶ πάλαι χορὸν αἰτοίη καθ' ἑαυτόν.* Similiter Eq. 1021: *ταυτὶ μὰ τὴν Δήμητρ' ἐγὼ οὐκ οἶδ' ὅ τι λέγει,* ubi *ταυτὶ* ad enuntiatum *ὅ τι νοεῖ* pertinet. Eq. 472 sq. *καὶ ταῦτα μ' οὔτ' ἀργύριον οὔτε χρυσίον | διδοὺς ἀναπείσεις . . . ὅπως ἐγὼ ταῦτ' οὐκ . . . φράσω.* Vesp. 1166. Pac. 1285. 1315. Lys. 500 (*ἀλλὰ ποιητέα ταῦτ' ἐστὶν ὅμως*), ubi *ταῦτ'* ad enuntiationem *ἡμεῖς ὑμᾶς σώσομεν* refertur. Ran. 1068. *ταῦτα* pertinet ad *πένεσθαι*, quod, cum pro *ὅτι πένης ἐστί* dictum sit, totius enuntiati notionem habet. Jbid. v. 1065 *διὰ ταῦτα* spectat ad enuntiationem *τοὺς βασιλεύοντας ῥάκι' ἀμπισχών*; quod exemplum praeclare ostendit, neutrum plurale idem fere significare, atque singulare; nam in versu 1064 *τοῦτ'* ad hanc eandem sententiam relatum est. — Alia eiusmodi exempla sunt Eccl. 471 sq. *ἀλλ' εἰ τῇ πόλει τοῦτο ξυνοίσει, ταῦτα χρὴ πάντ' ἄνδρα δρᾶν.* Plut. vv. 214 et 217 *ταῦτα* ad eandem spectat enuntiationem v. 210: *βλέποντ' ἀποδείξω σ' ὀξύτερον τοῦ Λυγκέως* atque *τοῦτο* in v. 211. — Insigne denique exemplum praesto est in v. Plut. 259. Chorus agrestium Carioni, qui eum, ut quam maxime ad se ipsum properet, incitat, respondet: *σὺ δ' ἀξιοῖς ἴσως με θεῖν, πρὶν ταῦτα καὶ φράσαι μοι | ὅτου χάριν μ' ὁ δεσπότης ὁ σὸς κέκληκε δεῦρο,* ubi pluralis

---

[1]) v. Richter l. c. § 34b.

ταῦτα pro singulari positum est, quoquo modo sententia explicatur. Magnopere enim viri docti dissentiunt. Scholiasta, quem Frischlinius, Reiskius, Dindorfius, Cobetus (Mnem. I p. 221) Kappeyne van de Coppello sequuntur, hyperbaton in illis verbis inesse putat, ita ut posita sint pro *καὶ ταῦτα πρὶν φράσαι μοι*. Berglerus ταῦτα cum verbis *ὅτου χάριν κτλ.* coniungit, quod idem facit Meinekius, qui, contra Fischeri sententiam, particulam *καί* nostro „auch nur" respondere putat (Vind. Arist. p. 211) Cum hoc viro illustrissimo et Berglero verba libris manuscriptis tradita servanda esse puto; *ταῦτα* enim ad totam elocutionem sequentem pertinere posse cum ex aliis exemplis allatis elucet tum ex vv. Nub. 1339 sq. et Vesp. 1358.

Huc ii quoque loci pertinent, in quibus plurali *ταῦτα* ad unam notionem spectanti particula *καί* anteposita est, quamquam pronomen in hac copulatione coniunctionis fere munere fungitur. Atque in exemplis, quae collegi, exceptis locis Ach. 1025, Vesp. 551. Lys. 378. 470, Eccl. 137, voces *καὶ ταῦτα* apud Aristophanem cum participio coniunctae sunt:

1) aut concessionem incohautes.

Vesp. 252. *τί δὴ μαθὼν τῷ δακτύλῳ τὴν θρυαλλίδ' ὠθεῖς;| καὶ ταῦτα τοὔλαίου σπανίζοντος*, ibid. 551; Ran. 66. Lys. 530. Plut 272.

2) aut vim enuntiationis vel verbi autecedentis augentes [2]).

Ach. 1022 sqq. *ἐπετρίβην ἀπολέσας τὼ βόε ...... καὶ ταῦτα μέντοι νὴ Δί' ὥπερ μ'ἔτρεφέτην* (v. 1025). Vesp. 1188 sq. *ἐγὼ δὲ τεθεώρηκα πώποτ' οὐδαμοῦ | πλὴν ἐς Πάρον, καὶ ταῦτα δύ' ὀβολὼ φέρων*. ibid. 943. Pac. 477. 541. 1271. Thesm. 734. Eccl. 136 sq; 401. Plut 803.

---

[1]) Kühner § 486 ann. 8.

[2]) ibid. § 521, 2. § 366 ann.; Hoogev. ad Vig. p. 176. Herm. ad eand. p. 177.

3) aut enuntiatinem vel vocem autecedentem explicantes[1]).

Vesp. 1183 ὦ σκαιὲ κἀπαίδευτε, Θεογένης ἔφη | τῷ κοπρολόγῳ καὶ ταῦτα λοιδορούμενος. Lys. 378. *ΧΟΡ. ΓΕΡ.* ἐμοὶ σὺ λουτρόν, ὦ σαπρά; (scil. παρέξεις) *ΧΟΡ. ΓΥΝ.* καὶ ταῦτα νυμφικόν γε. ibid. 470. Pac. 35.

Annot.: Duo tantum exempla inveni, ubi pronomen eodem genere, numero, casu ad nomen praecedens refertur; ab utroque hoc loco participium abest. Pac. v. 744. οὓς ἐξῆγον κλάοντας ἀεὶ καὶ τούτους οὕνεκα τουδί. ibid. 1276. κλαύσει νὴ τὸν Διόνυσον | οἰμωγὰς ᾄδων καὶ ταύτας ὀμφαλοέσσας[2]).

b. Adiectiva.

Quaecumque adiectiva in plurali numero generis neutrius posita ad huius paragraphi argumentum pertinent,

1) aut ad enuntiationes, sive expressas sive animo supplendas, in quibus infinitivus cum accusativo nominis subiecti vice fungentis coniuuctus est.

2) aut ad infinitivos).

Exempla sunt ad 1) Ach. v. 770 οὐ δεινά; (scil τουτό σοι μὴ οὐ φαίνεσθαι) ibid. v. 1079 οὐ δεινὰ μὴ 'ξεῖναί με μηδ' ἑορτάσαι; Eq. 609 δεινά γ', ὦ Πόσειδον, εἰ μηδ' ἐν βυθῷ δυνήσομαι | .... διαφυγεῖν τοὺς ἱππέας. Praeterea δεινά ad unam notionem refertur Vesp. 1368. Lys. 608. nec non Av. 1033, ubi Pithetaerus exclamat: οὐ δεινά; καὶ πέμπουσιν ἤδη 'πισκόπους | ἐς τὴν πόλιν, ubi Blaydesius, qni

---

[1]) ibidem.

[2]) cf. Kühner §§ 467. 8. 521. 2

[3]) hunc usum et apud Homerum invenimus (Krüger II 3. 8) et Herodotum ibid. ann. 9 et Pindarum (Erdmann l. c p. 6.) nec non apud poetas scaenicos (Krüger l c.), rarius apud scriptores Atticos (Krüger II 44. 3. 11).

Blaydesius, qui locum corruptum esse putat, pro *καί* scribi vult *τάδε*, qua coniectura tamen non opus est[1]).

Alia adiectiva pluralia eodem modo pro singularibus usurpata sunt: Lys. 34. *βέλτιστα τοίνυν μηκέτ' εἶναι νὴ Δία* (scil. *τοὺς Πελοποννησίους*) ibid. 142 *χαλεπὰ μὲν ναὶ τὼ σιὼ γυναῖκας ὑπνῶν ἐστ' ἄνευ ψωλᾶς μόνας*[2]) Notandus denique est v. Eq. 73 *κράτιστ' ἐκείνην ἦν μόλωμεν*, ubi, siquidem Bergkium sequimur, qui Ravennatis scripturam *ἦν* in *ἦν* mutat, ceteris libris *τὴν* exhibentibus, pluralis *κράτιστα* ad enuntiatum coniunctione formatum pertinet; (conferas tamen Kockii ad h. l. annotationem.)

ad 2) Ran. 277. *προιέναι βέλτιστα νῷν*[3]).

Similis ratio obtinet in adiectivis quae vocantur verbalibus, nisi quod infinitivi, ad quos neutrum plurale spectat, in illis ipsis latent[4]).

Ach. 394. *καί μοι βαδιστέ' ἐστὶν ὡς Εὐριπίδην*. ibid. 480. *ἄνευ σάνδικος ἐμπορευτέα*. Nub. 727. *οὐ μαλθακιστέ', ἀλλὰ παρακαλυπτέα*. Lys. 124 *ἀφεκτέα τοίνυν ἐστὶν ἡμῖν τοῦ πέους*. ibid. 411. *ἐμοὶ μὲν οὖν ἐς Σαλαμῖνα πλευστέα*. ibid. 450. *οὐδέποτ' ἐσθ' ἡττητέα | ἡμῖν*. Ran. 1180. *οὐ γὰρ μοὐστὶν ἀλλ' ἀκουστέα*. Plut. 1085. *συνεκποτέ' ἐστί σοι τὴν τρύγα*.

His exemplis aptius fortasse quam aliis unus ille locus annectitur, in quo adiectivae vocis neutrum plurale, addito articulo, ad substantivi numerum singularem pertinet. Quod exemplum invenitur in Ran. v. 421 *κἄστιν* (scil. *Ἀρχέδημος*) *τὰ πρῶτα τῆς ἐκεῖ μοχθηρίας*. Cuius structura alia exempla ex poetis et scriptoribus deprompta videre licet in Bergleri ad. h. l. annotatione, apud Wrobelium l. c. p. 40, Brunckium

---

[1]) quod praeterea proponit Blaydesius: *καὶ πέμπειν τιν'*. minus elegans est, quam quod Aristophani tribuerim.

[2]) cf Reisigii Conj. in Arist. I p. 30

[3]) cf. Kockii ann

[4]) v. Kühner § 366 et Krüger I § 44, 4. 2, qui inprimis Thucydidem et poetas scaenicos illum pluralem usurpare dicit. Saepius etiam invenitur apud Herodotum, de quo v. Abicht ad III 61 extr.

et Kockium ad. h. l.; cf. etiam Abicht ad Herodot. VI. 100 et Krüger. I § 43, 4 ann. 14.

§ 6.

Genus anacoluthiae apud poetas cum tragicos[1]) tum apud Aristophanem perrarum, paulo frequentius apud scriptores[2]) id est, quod efficitur, sicubi ad plura subiecta particula *ἤ* disiuncta, tamquam si non disiuncta, sed particula *καί* coniuncta essent, adiectivum vel participium in plurali numero positum refertur. Quod unum tantum huius generis anacoluthorum exemplum apud comicum nostrum exstat, Wrobelii sententia contra Porsonum et Matthiaeum prolata „solemnem singularem esse, insolentiorem pluralem" etiam de Aristophane defenditur.

Illud exemplum est v. Ran. 911 sq. Euripides quibus vitiis Aeschyli tragoediae affectae sint exponit: *πρώτιστα μὲν γὰρ ἕνα τιν' ἂν καθῖσεν ἐγκαλύψας, | Ἀχιλλέα τιν' ἢ Νιόβην τὸ πρόσωπον οὐχὶ δεικνύς, | πρόσχημα τῆς τραγῳδίας, γρύζοντας οὐδὲ τουτί.* Poetam hic propterea pluralem numerum usurpasse putandum est, ut notionem vocis *γρύζειν* ad utrumque subiectum eodem modo referendam esse significaret. Ceterum hoc exemplum ob eam causam in primis notabile est, quod appositionem *γρύζοντας* altera *πρόσχημα* in singulari numero antecedit.

§. 7.

Restat ut exempla illius generis anacoluthorum proponam, quod apparet, ubi oratio subiecto singulari incohata subito in pluralem transit.

Qui usus dicendi, quem et scriptores, ut Plato (vid. Engelhardt l. c. spec. III p. 36; Stallbaum ad Phaedr. 231a) Xenophon (v. Kühner ad I 2, 27.) Herodotus (v.

---

[1]) v. Wrobel l. c. p 46.

[2]) v. Kühner § 370, 5. Krüger § 63, 4 ann. 2.

Baehr ad. IV. 43.) Thucydides (v. Poppo. ad I vol. 1. pag. 96, III vol. 3. p. 102.) Antiphon (v. Maetzner p. 161) et poetae, (v. Pflugk ad Eurip. Herc. fur. 202 sq. Wrobel l. c. p. 47 sq.) nonnumquam adhibent[1]), invenitur, sicubi numerus singularis ita positus est, ut non una res vel persona, sed totum genus, quod illo singulari indicatur, scriptoris animo obversaretur.

Tales loci sunt apud Aristophanem: Pac. vv. 1176 sqq. Chorus agrestium, postquam pacem eiusque iucunditates verbis depinxit, in taxiarchum, pacis turbatorem, his infestis versibus invehitur: *τηνικαῦτ' αὐτὸς* (scil. *ὁ ταξίαρχος*) *βέβαπται βάμμα Κυζικηνικόν· | κᾆτα φεύγει πρῶτος, ὥσπερ ξουθὸς ἱππαλεκτρυὼν | τοὺς λόφους σείων· ἐγὼ δ' ἕστηκα λινοπτώμενος, | ἡνίκ' ἂν δ' οἴκοι γένωνται, δρῶσιν οὐκ ἀνασχετά.* His in versibus oratio in pluralem transitu maiorem etiam contemptionem prae se ferre videtur.

Eccl. vv. 441 sq. Chremylus e contione reversus, in qua mulieres vestibus mutatis id assecutae erant, ut respublica administranda ipsis deferretur, Blepyrum de his rebus certiorem facit, praecipue quo modo una ex illis, viros elevans, feminarum virtutes extulerit, enarraus: *γυναῖκα δ' εἶναι πρᾶγμ' ἔφη νουβυστικὸν | καὶ χρηματοποιόν. κοὔτε τἀπόρρητ' ἔφη | ἐκ Θεσμοφόροιν ἑκάστοτ' αὐτὰς ἐκφέρειν.* Hic tamen sententiae discrimen quamvis subtile inter singularem et pluralem non exstat.

Locus huic simillimus in eadem fabula est v. 236 sq.: *χρήματα πορίζειν εὐπορώτατον γυνή, | ἄρχουσά τ' οὐκ ἂν ἐξαπατηθείη ποτέ. αὐταὶ γὰρ εἰσιν ἐξαπατᾶν εἰθισμέναι.*

Plut. 527 in dialogo, quo Paupertas Chremylo quanto utilior sit ipsa Pluto, hominibus exemplis demonstrans dicit: *ἔτι δ' οὐχ ἕξεις οὔτ' ἐν κλίνῃ καταδαρθεῖν, οὐ γὰρ ἔσονται* pluralis *ἔσονται* positus est tamquam si antecederet *ἐν κλίναις.*

[1]) cf. Kühner § 371, 5.

Duo etiam inveni exempla, in quibus homo prima persona modo in singulari modo in plurali numero utitur. In fragmento enim a Polluce (VII 13) ex comoedia quae Horae inscribitur servato (N. 477 Dind) legimus: *ἐμοὶ | κράτιστον ἐς τὸ Θησεῖον δραμεῖν, | ἐκεῖ δ' ἕως ἂν πρᾶσιν εὕρωμεν μένειν.*

Mihi quidem recte Toupius e scriptura tradita *εἰ μοι ἐμοί* restituisse videtur, improbante Porsono *ἡμῖν* coniiciente (ad Hecub. Eur. v. 1238) quam coniecturam etiam Reisigius reiicit cum dicat (Conj. p. 154): non intellego cur Porso annotatione ad Euripidis Hecubam v. 1246, Toupii emendationem suscipere noluerit *ἐμοὶ κράτιστόν ἐστιν* — sed inanes turbas moverit.

Formam *εὕρωμεν* autem pluralem esse qui vocatur maiestaticum, cum aliud exemplum apud comicum non exstet, putare vix licet neque opus est; nam ita eum explicare possumus, ut servum modo de se solo, modo de ceteris servis secum consociatis cogitasse statuamus [1]).

Non aliter explicandum est alterum exemplum in Vesp. vv. 567 sq. *οἱ δὲ σκώπτουσ', ἵν' ἐγὼ γελάσω καὶ τὸν θυμὸν καταθῶμαι. | κἂν μὴ τούτοις ἀναπειθώμεσθα, τὰ παιδάρι' εὐθὺς ἀνέλκει | τὰς θηλείας καὶ τοὺς υἱεῖς, τῆς χειρός, ἐγὼ δ' ἀκροῶμαι.* Hic igitur oratio rursus transit in singularem. (cf. infra pag. 49 sq.)

E tragicis poetis multos locos his similes Wrobelius attulit in l. c. p. 50 sq.

II. Singularis numerus pro plurali usurpatur.

§ 8.

Inter anacoluthias, quae oriuntur, sicubi singularis numerus pro plurali usurpatur, eae maxime notandae sunt, quas homines grammatici schema Boeoticum vel Pindaricum

---

[1]) vid. Krüger I § 61, 2. a. 1.

vocant[1]). Efficitur enim, ubi masculina et feminina subiecta pluralis vel dualis numeri cum verbis singularibus iunguntur. Non minus quidem mirum videri possit, quod e neutris pluralibus verba singularia pendent; sed haec structura adeo usitata est, ut in iis tantum exemplis, in quibus neglegitur, offendamus. At neque talia in comici fabulis exstant et structurae schematis Pindarici ratione formatae perraro inveniuntur. Certum quidem est unum tantum exemplum, quod, licet in caput de anacoluthis duali numero effectis conscriptum, quod infra sequetur, cadat, iam hoc loco commemorare aptum mihi videtur: Vesp. v. 58. sqq. *ἡμῖν γὰρ οὐκ ἔστ' οὔτε κάρυ' ἐκ φορμίδος | δούλω διαρριπτοῦντε τοῖς θεωμένοις, | οὐδ' Ἡρακλῆς κτλ.*

Alio modo explicandi sunt Lys. vv. 1260 sq. *ἦν γὰρ τὤνδρες οὐκ ἐλάσσως | τᾶς ψάμμας, τοὶ Πέρσαι.* Nam hic *ἦν* antiqua forma est, quae ex *ἦσαν* correpta in dialecto Dorica est servata, de qua re vide Curtium: Verbum der Griech. Sprache I 148 (ed I), Ahrens, dial. Dor. 326.

Tria praeterea exempla, quae cum ad aliam causam revocanda sint, facile quispiam inter anacolutha numerare velit, hic commemorasse utile erit. Haec sunt vv. Ach. 1116 *πότερον ἀκρίδες ἥδιόν ἐστιν ἢ κίχλαι;* Nub. 248. *πρῶτον γὰρ θεοὶ | ἡμῖν νόμισμ' οὐκ ἔστι.* Thesm. 21 *οἷόν γε τοὔστιν αἱ σοφαὶ ξυνουσίαι*[2]), quibus in versibus verbum substantivum propterea subiecti numerum pluralem non sequitur, quod assimilatione quae vocatur ad praedicatum in singulari numero positum relatum est[3]).

---

[1]) de hac figura ab aliis poetis scriptoribusque adhibita vid. Kühner § 367, 1. Krüger I § 63, 4 ann. 4. II § 63, 3 ann. 4. Wilpert: de schemate Pindarico et Alcmanico, Vratisl. 1878. Richter l. c. § 39. Hermann ad Vig. 738, 193. Wrobel l. c p. 43 sq.

[2]) sequor Fritzschii coniecturam in annotatione ad h. l. prolatam.

[3]) cf. Kühner § 369.

Haec de schemate Pindarico, quamquam exempla ad huius ipsius paragraphi argumentum spectantia afferri non potuerunt, praemittenda erant.

Iam ad eos locos, qui re vera huc pertinent, recensendos transeamus. Qua in re quem ordinem supra in anacoluthis, in quibus pluralis numerus pro singulari usurpatus est, proferendis secuti sumus, eundem nunc quoque utile erit quam maxime fieri poterit tenere.

Primum igitur ea proferamus exempla, in quibus structura ad intellectum (*κατὰ σύνεσιν*) formata apparet.

Quicumque huc spectant loci, in iis pronomen *ὅστις* propter vim, quae in eo inest collectivam 1) ad substantivum vel 2) ad pronomen plurale refertur, qui usus contrarius ei, de quo supra (17) dixi, apud scriptores et poetas usitatus est[1]),

ad 1) Ran. *701. *πάντας ἀνθρώπους ἑκόντες συγγενεῖς κτησώμεθα | κἀπιτίμους καὶ πολίτας, ὅστις ἂν ξυνναυμαχῇ.*

ad 2) Nub. 348. *γίγνονται* (scil. *αἱ νεφέλαι*) *πάνθ' ὅτι βούλονται.* ibid 1380 sq. *ὅστις ὦναίσχυντέ σ' ἐξέθρεψα αἰσθανόμενός σου πάντα τραυλίζοντος, ὅ τι νοοίης.* Eccl. 514. *σὸν δ' ἔργον τἄλλα διδάσκειν, | ὅ τι σοι δρῶσαι ξύμφορον.*

§ 9.

Contraria ei rationi, qua orationem a singulari numero in pluralem transire supra docuimus, frequenter exempla occurrunt, ubi oratio lege grammatica repugnante a plurali in singularem numerum deflectitur.

Anacoluthorum, quae huc spectant, plurima in personarum numerorum confusione posita atque ita formata sunt, ut verbum plurale antepositum in oratione procedente aut participium aut verbum finitum aut pronomen personale singularis numeri sequatur.

Tales structuras inter ceteros scriptores, apud quos eas inveniri apparet e locis supra (pagg 25 extr. 26 init.) memoratis et

[1]) v. Kühner § 359, 3 c. *β.* Krüger I § 58, 4 ann. 5. II § 58, 4 ann. 4.

ex annotationibus Maetzneri ad. Lycurg. p. 179, Abichtii ad Herodot. I 195, 6 et ex exemplis, quae Storchius in dissertatione de syntaxi Pausaniana scripta collegit, praecipue Plato admisit: vid. Engelhardt l. c. spec. III pagg. 6—8 Heindorf ad Phaed. 62. d., Stallbaum. ad Civ. 389d.

Atque in multis eorum quae ex Aristophane allaturus sum exemplis poeta, quasi multitudinis significationem ut minus definitam fugiat et quam citissime ad unius rei perspicuitatem redire studeat, structuram ad rem singularem e plurali antecedente exemptam accommodasse mihi videtur. Nonnulla ad alias causas revocanda sunt, quas suo quamque loco commemorabo. Quibus praemissis exempla ipsa videamus, quae hoc modo disponere liceat, ut priore loco ea tractemus, in quibus is qui loquitur prima vel tertia persona utitur; secundo, cum suas habeant proprietates, ea quibus homines compellantur.

Ia. Inter eos locos, in quibus homines de se ipsi loquuntur, unus ita conformatus est, ut verbum finitum plurale singularis numerus participii sequatur: Thesm. v. 789 sq. Chorus mulierum ab opprobriis, quibus a viris obruantur, se defendere conatur verbis: *εἰ κακόν ἐσμεν, τί γαμεῖϑ' ἡμᾶς . . . | κἀπαγορεύετε μήτ' ἐξελϑεῖν μήτ' ἐκκύψασαν ἁλῶναι*, ubi secundum legem grammaticam *ἐκκυψάσας* scribendum fuit.

A n n o t.: Eccl. v. 1002, ubi vetulam deridens dicit iuvenis: *τί δῆτα κρεάγρας τοῖς κάδοις ὠνοίμεϑ' ἄν, | ἐξὸν καϑέντα γρᾴδιον τοιουτονὶ | ἐκ τῶν φρεάτων τοὺς κάδους ξυλλαμβάνειν*, huc non pertinet, cum enuntiatum secundarium participio *ἐξόν* incohatum generalem sententiam exprimat neque ad pluralem spectet antecedentem, sed in se positum sit[1]).

---

[1]) de hoc loco vid. infra pag. sq.

b) Duobus aliis locis verbum finitum singulare sequitur verbum vel pronomen plurale. Plut. 329. *δεινὸν γὰρ, εἰ . . . ὠστιζόμεσθ' . . . | αὐτὸν δὲ τὸν πλοῦτον παρείην* Av. 1091 sq. *οὐδ' αὖ . . . ἡμᾶς | ἀκτὶς . . . θάλπει · | ἀλλ' . . | . . ἐνναίω.*

c) Pronominis personalis singularis sequitur verbum finitum vel pronomen plurale. Lys. 358 *θώμεσθα . . . μὴ . . . μ'ἐμποδίζῃ.* Ran. 213 *φθεγξώμεθ', . . ἐμὰν ἀοιδάν* Av. 690 sq. *ἵν' ἀκούσαντες πάντα παρ' ἡμῶν . . . Προδίκῳ παρ' ἐμοῦ κλάειν εἴπητε*

Quae quinque anacolutha sicut etiam Thesm. vs. 790 de partibus choricis deprompta chori natura explicanda sunt. Notissimum enim est, chorum a poetis scaenicis modo singulari modo plurali numero significari[1]).

Multo frequentiora sunt exempla, in quibus pluralis tertiae personae in singularem transit. Cuius transitus causa, de qua generaliter supra iam diximus, ea esse solet, quod, quae ab initio de pluribus vel de cunctis generis cuiusdam hominibus poeta dicturus erat, ea procedente oratione ad singulos refert[2]).

Anacolutha, quae huc spectant, non nisi verbis finitis oriuntur, quibus participium adiungi posse, quod, si ad verbum singulare referatur, eundem numerum sequi debeat, per se patet.

Talia exempla, ut haec primo loco afferam, sunt Nub. 988 sq. Antiquorum morum defensor adversario reprehenso, quod cives longis vestibus uti docuerit, ut mollitie affecti armorum corporumque exercitationes neglegant, pergit: *ὥστε μ'ἀπάγχεσθ', ὅταν ὀρχεῖσθαι Παναθηναίοις δέον αὐτοὺς | τὴν ἀσπίδα τῆς κωλῆς προέχων ἀμελῇ τῆς Τριτογενείης.*

Vesp. 564 sq. Philocleo iudex, quibus dolis atque astutiis, ut crimine liberentur, rei utantur narrat: *οἱ μέν γ'ἀποκλάονται πενίαν αὐτῶν καὶ προςτιθέασιν | κακὰ πρὸς τοῖς*

---

[1]) cf. Kühner § 371, 4 β extr.

[2] cf. God. Herm. ad. Vig. p. 934

οὖσιν, ἕως ἀνιῶν ἂν ἰσώσῃ τοῖσιν ἐμοῖσιν | ... *οἱ δὲ σκώπτουσ' ἵν' ἐγὼ γελάσω* ... | *κἂν μὴ τούτοις ἀναπειθώμεσθα, τὰ παιδάρι' εὐθὺς ἀνέλκει.*

Huc spectant etiam vv. Ran. 1073 sqq., quamquam verbum finitum, unde participium singulare pendeat, omissum et ex antecedente plurali[1]) animo supplendum est. Agitur de nautis, de quibus Aeschylus dicit: *οὐκ ἠπίσταντ' ἀλλ' ἢ μᾶζαν καλέσαι καὶ ῥυππαπαῖ εἰπεῖν. Νὴ τὸν Ἀπόλλω,* pergit Bacchus, *καὶ προςπαρδεῖν .., κἀκβὰς τινὰ λωποδυτῆσαι. νῦν δ' ἀντιλέγει κ. τ. λ.*

Cui exemplo adiungo Nub. v. 973, ubi verbi finiti numerus verbo impersonali quod vocatur *ἔδει* quasi obscuratus est. *Λόγος δίκαιος* prioris aetatis morum praestantiam praedicat: *ἐν παιδοτρίβου δὲ καθίζοντας τὸν μηρὸν ἔδει προβαλέσθαι* | *τοὺς παῖδας, ὅπως τοῖς ἔξωθεν μηδὲν δείξειαν ἀπηνές·* | *εἶτ' αὖ πάλιν αὖθις ἀνιστάμενον συμψῆσαι.*

Luculentissima anacoluthia in iis exemplis apparet, in quibus verba finita ipsa sine participiis posita singularis numeri ad nomina vel pronomina vel verba pluralia anectuntur, quae ut proferamus reliquum est.

Vesp. v. 552 sq. *ὃν πρῶτα μὲν ἕρποντ' ἐξ εὐνῆς τηροῦσ' ἐπὶ τοῖσι δρυφάκτοις* | *ἄνδρες μεγάλοι καὶ τετραπήχεις· κἄπειτ εὐθὺς προςιόντι ἐμβάλλει μοι τὴν χεῖρ' ἁπαλήν. ἐμβάλλει* igitur ad plurales *ἄνδρες μ. κ. τ.* pertinet, quem tamen numerum sequenti versu redire notandum est[2]).

Pac. v. 639 sq. Mercurius oratorum popularium improbitatem atque avaritiam cum aliis tum his verbis insectatur: *τῶν δὲ συμμάχων ἔσειον τοὺς παχεῖς καὶ πλουσίους,* | *αἰτίας ἂν προςτιθέντες, ὡς φρονοῖ τὰ Βρασίδου,* ad quem singularem *φρονοῖ* demonstrativum quod sequitur *τοῦτον*

[1]) cf. Fritzsch. ann. ad. h. l.

[2]) Assentior Richtero qui voces *μεγάλοι καὶ τετραπήχεις* de reis dictas esse statuit, ut opibus, gratia, auctoritate eminentibus. Florens Christianus et Reisigius (Conj. p. 153) lictores et ostiarios designari putant.

poeta accommodat: *εἶτ' ἂν ὑμεῖς τοῦτον ὥσπερ κυνίδι' ἐσπαράττετε.*

Lys. v. 1115 sq. Lysistrata, ut Lacedaemonios et Athenienses reconciliet contendens, dicit Paci arcessitae: *πρόςαγε λαβοῦσα πρῶτα τοὺς Λακωνικούς . . . κἂν μὴ διδῷ τὴν χεῖρα τῆς σάθης ἄγε.*

Eccl. v. 641. sq. Praxagora, ut Blepyri opinionem, in nova mulierum republica filios patres ut ignotos strangulaturos esse, reiiciat, *ἀλλ' ὁ παρεστὼς*, inquit, *οὐκ ἐπιτρέψει. τότε δ' αὐτοῖς οὐκ ἔμελ' οὐδὲν | τῶν ἀλλοτρίων, ὅστις τύπτοι. νῦν δ' ἢν πληγέντος ἀκούσῃ . . . τοῖς δρῶσι τοῦτο μαχεῖται.* Hic igitur, ut in v. Pac. 639 supra allato, orationem pluralem verbo singulari interposito interrumpi vidimus, continuatio orationis pronomine plurali *αὐτοῖς* verbis singularis numeri interiectis turbatur[1]) Eccl. 663 Blepyrus Praxagoram de institutis, legibus, poenis in nova republica adhibendis interrogat: *τῆς αἰκίας οἱ τύπτοντες πόθεν ἐκτίσουσιν, ἐπειδὰν | εὐωχηθέντες ὑβρίζωσιν;* respondet Praxagora: *ἀπὸ τῆς μάζης ἧς σιτεῖται.* Et paulo infra v. 672. eadem Blepyro qui rogaverat: *οὐδὲ κυβεύσουσ' ἆρ' ἄνθρωποι;* respondet: *περὶ τοῦ γὰρ τοῦτο ποιήσει*[2]).

In his exemplis, quin a plurali in singularem numerum transitiones pro anacoluthiis habendae sint, ego non dubito. Fuerunt autem, qui anacoluthias eo modo tollendas esse censerent, ut pronomen *τις* supplerent, Reiskius quidem ad Pac. v. 640, Brunckius, Ernestius, Hermannus ad Nub. v. 988; Blaydesius ad Eccl. 641. 672 Vesp. v. 552. (vid. pag. 56 annot 1.) hoc pronomen animo addunt. At ut in reliquis quos attuli locis, sic etiam in his enuntiationes, in quibus numerus contra grammaticae rationem mutatur,

---

[1]) Blaydesii opinionem, qui hunc locum cum v. Vesp. 552 comparans *τίς τινος* suppleri vult, plane reiiciendam esse puto.

[2]) de *ποιήσει* vid. Blaydes, qui mutat *ποιήσῃ* vel *ποιῇ τις*, quae mutatio tamen non necessaria est, de qua re cf. quae sequuntur.

sententia artius coniunctae sunt, quam quas novo subiecto, eoque infinito, illato disiungere liceat.

Atque etiam in his quos iam proferam locis anacoluthias magis quam ellipses inesse putaverim: Eccl. v. 608 sq. Postquam Praxagora homines, quippe qui omnibus rebus communiter usuri essent, iam non esse furaturos contendit, contra interrogat Blepyrus: *οὐκοῦν καὶ νῦν οὗτοι μᾶλλον κλέπτουσ' οἷς ταῦτα πάρεστι;* et tum, ubi illa respondit: *πρότερόν γ', ὦταιρ', ὅτι τοῖσι νόμοις διεχρώμεθα τοῖς προτέροισιν.* | *νῦν δ' ἔσται γὰρ βίος ἐκ κοινοῦ, τί τὸ κέρδος μὴ καταθεῖναι,* pergit: *ἢν μείρακ' ἰδὼν ἐπιθυμήσῃ καὶ βούληται σκαλαθῦραι,* | *ἕξει τούτων ἀφελὼν δοῦναι.* Hic singularia *ἰδὼν ἐπιθυμήσῃ καὶ βούληται* vel ad *οὗτοι* spectare vel ad pronomen *αὐτοῖς* vel *αὐτῷ* post *κέρδος* supplendum referenda esse statuere licet.

Perspicuum exemplum paulo infra sequitur v. 615 sq. *ΒΛΕΠ.: πῶς οὖν οὐ πάντες ἴασιν* | *ἐπὶ τὴν ὡραιοτάτην αὐτῶν καὶ ζητήσουσιν ἐρείδειν; ΠΡΑΞ. αἱ φαυλότεραι καὶ σιμότεραι παρὰ τὰς σεμνὰς καθεδοῦνται.* | *κᾆτ' ἢν ταύτης ἐπιθυμήσῃ, τὴν αἰσχρὰν πρῶθ' ὑπακρούσει,* ubi et pronomen singulare *ταύτης* ad adiectiva pluralia spectat, et verba singularia posita sunt, tamquam si *πᾶς τις* antecederet vel aliud nomen vel pronomen singulare.

Quamquam ad hunc locum explicandum pronomen *τις* supplere fortasse probabilius est. Desunt enim neque apud alios scriptores[1]) neque apud Aristophanem exempla quae alio modo interpretari vix quisquam poterit. Equidem apud Aristophanem haec notavi: Av. v. 561 sq. Pithetaerus exponit, quomodo aves, urbe in aëre condita, deos de regno deicere et ipsae rerum potiri possint: *τοῖς δ' ἀνθρώποις ὄρνιν ἕτερον πέμψαι κήρυκα κελεύω,* | *ὡς ὀρνίθων βασιλευόντων θύειν ὄρνισι τὸ λοιπὸν* | .... | *ἢν Ἀφροδίτῃ θύῃ γύρους ὄρνιθι φαληρίδι θύειν· ἢν δὲ Ποσειδῶνί τις οἶν θύῃ νήττῃ πυροὺς*

---

[1]) vid. Heindorf ad Plat. Gorg. p. 105. Protag. p. 499. Zeunii annot. ad Vig. p. 150 Kühner § 352 g.

καθαγίζειν. Hic τις supplendum esse et e tota structura et eo apparet, quod in sententia insequenti hoc pronomen positum est. τις supplendum esse existimo etiam in vv. Eccl. 669 sq. Bdelycleoni, qui interrogavit Praxagoram: οὐδ' ἢν γε θύραζ', ὥσπερ πρότερον; (scil. ἀποδύσουσι) haec respondit: βίοτος γὰρ πᾶσιν ὑπάρξει. | ἢν δ'ἀποδύῃ γ'αὐτὸς δώσει. τί γὰρ αὐτῷ πρᾶγμα μάχεσθαι; et v. 662 τουτὶ τοίνυν φρασάτω μοι, ubi cf. Blaydesii annotationem et Heindorf. ad Plat. Gorg. § 26.

Ceterum illum usum praecipue in legibus et praeceptis publicis, quam formam exemplum supra ex Avibus (v. 561) allatum induit, inveniri multi loci de aliorum scriptorum libris deprompti demonstrant[1]).

Restat, ut de iis disseramus anacoluthis, quae nascuntur, sicubi plures homines modo plurali modo singulari numero compellantur. In talibus exemplis is, qui loquitur, multitudinem hominum, quae saepe choro efficitur, pro uno homine habet aut unum ex tota turba tamquam eius partes suscipientem excipit cumque eo rem agit[2]). Praesto sunt haec: Vesp. 485 Bdelycleo chorum iudicum cum indignatione inclamat: ἆρ' ἂν ὦ πρὸς τῶν θεῶν, ὑμεῖς ἀπαλλαχθεῖτέ μου; | ἢ δέδοκταί σοι (codd. μοι) δέρεσθαι καὶ δέρειν δι' ἡμέρας, ubi Bergkii, quem Dindorfius secutus est, conjectura: ἢ δέδοκταί σοι probabilior mihi videtur, quam quae, a Reiskio prolata, a Richtero recepta est: οὐ δέδοκταί μοι. Sententia quidem utraque coniectura effecta clara atque emendata est. Scriptura autem ἢ δέδοκταί σοι ad verba tradita ἢ δέδοκταί μοι nescio an facilius revocari possit, quam ad οὐ δέδοκταί μοι. Quod autem Richterus dicit, e chori responsione (vv. 486 sq.) apparere tantum, versum 484 quaestionem continere, certis caret argumentis; neque enim intellego, cur minus aptum sit, statuere, chori responsionem alteram quaestionem ne-

[1]) v. Schoemann ad Isaeum 2, 13.

[2]) cf. Reisig. Conj. p. 237. Benloew l. c. § 3. p. 25.

glexisse, quam enuntiationem quae vocatur affirmativam, id quod Richtero placet.

Vesp. 715 sq. Bdelycleo iudices ambitionis et avaritiae commonefacit procerum, a quibus vectigalibus rei publicae ingentibus frandentur: *ἀλλ' ὁπόταν μὲν δείσωσ' αὐτοί, τὴν Εὔβοιαν διδόασιν | ὑμῖν καί σῖτον ὑφίστανται κατὰ πεντήκοντα μεδίμνους | ποριεῖν. ἔδοσαν δ'οὐπώποτέ σοι πλὴν πρῴην πέντε μεδίμνους, | καὶ ταῦτα μόλις . . . ἔλαβες κτλ.* Similiter in Eccl. v. 199 *Κορινθίοις ἤχθεσθε κἀκεῖνοί γέ σοι.*

Denique huc pertinent vv. Nub. 1285 sq. *ἀλλ' εἰ σπανίζεις, τἀργυρίου μοι τὸν τόκον | ἀπόδοτε,* ubi singulari numero pater, plurali pater et filius compellantur.

Annot.: Alio modo intellegendi sunt vv. Vesp. 254 sq., ubi puer choro senum propter olei profusionem eum obiurganti respondet: *εἰ νὴ Δί' αὖθις κονδύλοις νουθετήσεθ' ἡμᾶς, | ἀποσβέσαντες τοὺς λύχνους ἄπιμεν οἴκαδ' αὐτοί. | κἄπειτ' ἴσως ἐν τῷ σκότῳ τουτουὶ στερηθεὶς | τὸν πηλὸν ὥσπερ ἀτταγᾶς τυρβάσεις βαδίζων.* Nam poeta hoc in secundo enuntiato puerum non totum chorum, ut verbis, quae antecedunt, sed re vera unum ex eo, patrem videlicet, singulari numero facit compellantem.—

Magis etiam conspicua fit anacoluthia, ubi vocativus singularis cum imperativo plurali coniungitur. Quod si fit, is qui loquitur, plerumque re vera plures personas compellat, appellat vero nominatim unam inter reliquas eminentem.

Exempla praesto sunt: Vesp. 975. *ἴθ', ἀντιβολῶ σ' οἰκτείρατ' αὐτόν, ὦ πάτερ, | καὶ μὴ διαφθείρητε.* Bdelycleo hic patrem alloquitur, quasi non unus adesset, sed frequenter essent iudices exorandi tamquam in re forensi[1]). Structura eadem est Vesp. 1152 sq. *ἀλλ', ὠγαθέ, | εἴπερ γ'ἀνάγκη, κρίβανον μ'ἀμπίσχετε.* Neque tamen satis elucet, quam multitudinem poeta, cum scriberet *ἀμπίσχετε*, in animo habuerit,

---

[1]) v. Reisig. Conj. p. 238. Wrobel l. c. p. 47.

quoniam non apparet, quis praeter filium et chorum adsit, chorus autem per totam hanc fabulae partem silentio spectatoris partes tenet. Itaque statuendum videtur, Bdelycleonem cum servo, qui vestes, quibus patrem erat ornaturus, ferret, in scaenam prodiisse.

Plures pueros Pithetaerus compellare videtur Av. 850 *παῖ, παῖ, τὸ κανοῦν αἴρεσθε*[1]). Versu Lys. 209 *λάζυσθε πᾶσαι τῆς κύλικος, ὦ Λαμπιτοῖ*, Lysistrata unam alloquens ad plures se convertit. Idem fit ibid. in v. 548: *ἀλλ', ὦ τηθῶν ἀνδρειοτάτη καὶ μητριδίων ἀκαληφῶν, | χωρεῖτ' ὀργῇ καὶ μὴ τέγγεσθ'*, et 1166: *ἄφετ', ὠγάθ', αὐτοῖς*.

Notabile denique exemplum est in vv. Ran. 1479 sq.: *χωρεῖτε τοίνυν, ὦ Διόνυσ', εἴσω, ἵνα ξενίσω 'γώ σφω, πρὶν ἀποπλεῖν*, ubi singularis et pluralis et dualis numeri iuxta ponuntur.

Quibus exemplis ii loci adiungendi sunt, in quibus imperativi *ἄγε, εἰπέ, φέρε* cum vocativis vel verbis pluralibus coniunguntur. Hos habeo in promptu:

1) *ἄγε* Eq. 1011. *ἄγε νυν ὅπως . . . ἀναγνώσεσθε*. Vesp. 381. *ἄγε νῦν, . . . τί ποιήσετε*. Av. 1744. *ἄγε νυν . . . κλήσατε*. Ran. 382. *ἄγε νυν . . . κελαδεῖτε*, Lys. 1273 *ἄγε νυν, . . | ἀπάγεσθε . . . , ὦ Λάκωνες*. Eccl. 268. *ἄγε νυν, ἀναστέλλεσθ'*. Pac. 263. *ἄγε δή, τί δρῶμεν, ὦ πονήρ' ἀνθρώπια*. ibid 1115· *ἄγε δή, θεαταί, δεῦρο συσπλαγχνεύετε*. Av. 685. *ἄγε δὴ φύσιν ἄνδρες ἀμαυρόβιοι . . , . . πρόσχετε τὸν νοῦν*. Lys. 1100. *ἄγε δή, Λάκωνες, . . . χρὴ λέγειν*. Pac. 508. *ἄγ', ὦνδρες, αὐτοὶ δὴ μόνοι λαβώμεθ'*.

Videmus igitur, quod obiter commemoraverim, *ἄγε νυν* plerumque cum verbis sine vocativis, *ἄγε δὴ* praecipue cum vocativis coniungi. Ceterum in eiusmodi enuntiatis numeri singularis vim paene evanuisse vix est quod addam.

2) *εἰπέ* Ach. 319. *εἰπέ μοι, τί φειδόμεσθα τῶν λίθων*,

---

[1]) cf. tamen Blaydes. ad h. l. et Kockium.

ὦ δημόται. ibid. v. 328. εἰπέ μοι, ... ἄνδρες δημόται. Pac. 383. εἰπέ μοι, τί πάσχετ', ὦνδρες; Av. 336. εἰπέ μοι, τί μέλλετ', ὦ πάντων κάκιστα θηρίων;

3) φέρε Ach. 541 sq. φέρ', ... καθῆσθ' ἂν ἐν δόμοισιν;

Ex omnibus eiusmodi structuris, in quibus complures personae singulari numero compellantur, eae, quae imperativis ἄγε, φέρε, maxime autem εἰπέ formatae sunt, sermonis sunt familiaris, quamobrem praeter Aristophanem apud Platonem frequentiores occurrunt [1]); neque tamen absunt a poetis tragicis, a Demosthene neque ab Homero [2]). Apud eosdem, inprimis apud scriptores ut Isaeum, Xenophontem, praeterea apud Hesiodum, Pindarum, reliquae quoque huius generis structurae inveniuntur [3]).

§ 10.

Haec habui, quae de anacoluthis pluralis et singularis numeri ab Aristophane usurpatis dicerem. Priusquam autem huius dissertationis partis finem faciam, nonnullos locos commemorare mihi liceat, qui, etiamsi dubium videri possit, utrum inter anacolutha habendi sint necne, tamen, cum a ratione cogitandi et dicendi usitata recedant, obiter quidem perstrinxisse utile erit.

1) Ac primum quidem nonnumquam accidit, ut substantiva, quae ad plura subiecta ut uniuscuiusque eorum propria pertinent, tamen in singulari numero apponantur. Haec substantiva singularia apud Aristophanem non nisi partes corporis aut tales res significant, quae quodammodo cum corpore coniunctae cogitari solent. Apud alios scriptores hic singularis etiam de anima et talibus rebus usurpatur, quas nos vocamus abstractas, ut apud Isocratem

---

[1]) vid. Krüger § 63, 4. 1. Kühner § 371, 4 α.

[2]) iidem et Bremi ad Demosth Phil. I, 43. 10. Matthiae ad Eur. Or. p. 240. Nitsch. ad Od. III 43. p. 144.

[3]) v. Kühner § 371, 4 β et qui ibi indicati sunt libri. Wrobel l. c. p. 47.

(2, 11), Thucydidem (8, 96), Aeschinem (P. 434); apud poëtas saepius singularis *σῶμα* cum plurali coniunctus est, de qua re vid. Kühner. § 347, 4. — Alia exempla proponunt Krügerus (Gr. Spr. § 44, 1. 7. et ad Xenoph. Anab. I, 7, 8) et Madvigius Syntax. § 18.

Aristophanis loci, qui huc pertinent, hi sunt: Pac. 536. (*ἥδεται ποιητῇ*) *κόλπου γυναικῶν διατρεχουσῶν εἰς ἀγρόν*[1]) Lys. 151 *δέλτα παρατετιλμέναι*: Eccl. 721 sq. *καὶ τάς γε δούλας ... δεῖ κοιμᾶσθαι .. τὸν χοῖρον ἀποτετιλμένας.* ibid. 782. *ἕστηκεν* (scil. *τὰ τῶν θεῶν ἀγάλματα*) *ἐκτείνοντα τὴν χεῖρ' ὑπτίαν.* Plut. 379. *τὸ στόμ' ἐπιβύσας κέρμασιν τῶν ῥητόρων.* ibid. 758 sq. *ἐκτυπεῖτο δὲ | ἐμβὰς γερόντων εὐρύθμοις προβήμασιν.*

Ann. Contrarius quodammodo usus reperitur in v. 727. *ὥστ' ἤδη τὴν ὀργὴν χαλάσας τοὺς σκίπωνας καταβάλλω*, ubi cum multitudo choreutarum singulari numero de se loquatur, pluralem *τοὺς σκίπωνας* ad sententiam accommodatum esse statuendum est.[2])

2) Praeterea verbum et participium singularia insueta ratione cum pluralibus subiectis coniunguntur, quae structura aut ita explicatur, ut unum ex illis subiectis prae ceteris eminens et ipsius et reliquorum personas gerat, ut in vv. Ran. 588 sq. *πρόρριζος αὐτός, ἡ γυνή, τὰ παιδία, | κάκιστ' ἀπολοίμην, κἀρχέδημος ὁ γλάμων*, et ibid. vv. 1408 sq. *αὐτὸς* (scil. ***Εὐριπίδης***) *τὰ παιδί', ἡ γυνή,* ***Κηφισοφῶν*** *| ἐμβὰς καθήσθω, | συλλαβὼν τὰ βιβλία*, nam in utroque exemplo numeri verborum ad subiecta, in illo ad Bacchum, in hoc ad Euripidem, ut patres familias et suam et uxorum liberorumque causam agentes accommodantur, aut ita ut una persona prae ceteris praedicetur, ut in vv. Thesm. 977 sq. ***Ἑρμῆν τε Νόμιον ἄντομαι | καὶ Πᾶνα καὶ Νύμφας φίλας |***

---

[1]) vid. Richteri annot ad h. l.

[2]) Neque vero huc referendi sunt vv. Eq. 646 et Lys. 810: nam *τὰ πρόςωπα* passim idem significare ac *τὸ πρόςωπον* nemo nescit.

ἐπιγελάσαι προθύμως | ταῖς ἡμετέραισι | χαρέντα χορείας. Haec quidem codicis Ravennatis scriptura.

Nonnulli viri docti offenderunt in singulari χαρέντα, quem Kusterus Bisetum et Farrei editionem secutus in pluralem χαρέντας mutat, obstante metro. Ego, quod editores recentiores omnes tuentur χαρέντα, propterea etiam defendi puto, quod chorus Mercurium, quippe cuius nomini soli cognomen apposuerit, in primis in mente habuisse consentaneum est.

De eodem usu ab aliis adhibito id animadvertendum est, apud poetas minus frequenter eum obvenire, quam apud scriptores, e quibus Kühnerus non pauca exempla proponit.[1])

III. Dualis numerus cum singulari et plurali coniungitur.

§ 11.

His peractis reliqum est, ut de dualis numeri anacoluthis in comici fabulis adhibitis dicamus. Atque exempla, in quibus dualis subiecti cum singulari praedicati coniungitur, praeter unum illud ad schema Pindaricum conformatum non inveni (cf. § 8, p. 28.)

Praeterea dualis cum singulari in eadem enuntiatione consociatus est, ubi quis ad duas personas se convertens easque alloquens nominatim unam tantum appellat. (cf. § 9 p. 36.) Huc pertinet v. Ach. 259. ὦ Ξανθία, σφῷν δ'ἐστὶν ὀρθὸς ἐκτέος | ὁ φάλλος, ubi duali pronomine σφῷν duo servos alloquitur Dicaepolis.[2])

In v. Ach. 733, quem libri manuscripti in hunc modum exhibent : ἀκούετον δή, ποτέχετ' ἐμὶν τὰν γαστέρα, quibus verbis Megarensis filios compellat, Reisigius[3]) coniecit πότεχ' ἐμίν, quod si reciperemus, locus hic memorandus

---

[1]) § 370, 2 et 3

[2]) ad Plut. v. 66 ὦ τὰν, ἀπαλλάχθητον ἀπ' ἐμοῦ vid. Krüger § 20.

[3]) Conj. p. 34.

esset. Sed quamquam scripturam traditam propter dactyli et anapaesti consociationem retineri non licere Engerus, qui (in praefatione Lysistratae p. XVI sq) hunc locum uberrime tractavit, certis argumentis contra Dindorfium demonstravit, Reisigii emendationem probabilem esse non putaverim.

Primum enim Albertus Müller recte animadvertit, quod Megarensis per totam scaenam filias non compellet duali numero, non verisimile esse, hoc uno loco illo numero usum esse poetam; tum vero, si Reisigium sequeremur, dualis et singularis et pluralis numeri (*ἀκούετον — πότεχ' — χρήδδετ'*) consociati essent, quod praeterea in eadem enuntiatione numquam, in sententia interrogatione disiuncta semel tantum invenitur, in vv. Ran. 1479 sp. *χωρεῖτε τοίνυν, ὦ Διόνυσ' εἴσω; — τί δαί; — ἵνα ξενίσω 'γώ σφω.*

Ad sententiam denique non quadrare particulam *δὴ* optime annotat Fritzschius, (ad Thesm. v. 730 p. 264). Quam ob rem neque Bergkium, qui *ἄκουε δή*, neque Bentleium, Hermannum, Blaydesium, qui *ἀκούετε δή* proponunt, sequendum esse censeo.

Quae cum ita sint, Fritzschii (ad Thesm. v. 730) emendatio *ἀκούετ' ὦν* mihi probabilior, quam ceterae videtur; nam neque a litteris traditis magis recedit et sententia est emendatior.

At licet ne ab hac quidam coniectura omnes dubitationes remotae sint, Reisigii emendationem minime verisimilem esse puto.

§ 12.

Minus raro obveniunt pluralis numeri cum duali coniunctiones, quae quamquam cogitandi rationi non repugnant, quoniam pluralis ea est natura et potestas, ut in universum plures quam unam rem designet,[1]) propter formarum discrepantiam anacoluthiis annumerandae sunt.

Nam aliter procedit oratio atque pro legibus grammaticis, quarum summa est, ut voces coniunctae genere, casu, numero inter se concinant, ex initio eius expectaveris.

---

[1]) cf. W. v. Humboldt: über den Dualis pag. 27; Bieber, de dual. num. ap. Ep. Lyr., Att. pag. 52.

Eae tantum structurae huc non pertinent, in quibus forma dualis, quam structura postulat, ab usu remota est.

Exempla, quae ad hoc caput pertinent, varie sunt formata.

Ac primum quidem saepius pronomen personale pluralis numeri subiecti munere fungens cum verbo duali coniunctum est et contra. [1])

Illud accidit in vv. Plut. 608 sq. *ἦ μὴν ὑμεῖς γ᾽ ἔτι μ᾽ ἐνταυθοῖ | μεταπέμψεσθον.* Hoc paulo frequentius hic locis: Ach. 1216. *σφὼ ... | προςλάβεσθ᾽.* Vesp. 362 sq. *τὼ δὲ δύ᾽ αὐτῶν .. | τηροῦσιν ἔχοντ᾽ ὀβελίσκους.* Ceteri loci sunt: Vesp. 442. Pac. 469. Av. 1683. Ran. 885. Plut. 482. 735; quos omnes iam aute collegit Augustus Bieber in libro quem de duali numero apud Epicos, Lyricos, Atticos diligenter scripsit (pag. 55) quamobrem etiam de talibus structuris ab aliis admissis hunc librum indicasse sufficiat. [2])

Illis autem exemplis unum adiungo, in quo, siquidem codicibus fidem habere licet, illud pronomen personale dualis numeri cum substantivo plurali appositionis loco adiecto coniunctum est, Av. v. 120. *ταῦτ᾽ οὖν ἱκέται νὼ πρὸς σε δεῦρ᾽ ἀφίγμεθα.*

Dindorfius quidem et Meinekius et Blaydesius, Elmsleium secuti, *ἱκέτα* receperunt; at fortasse hac emendatione non opus est. Simile enim exemplum apud Platonem exstat in dialogo qui inscribitur Laches (p. 187 A): *εὑρεταὶ γεγονότε δότε παράδειγμα.* [3])

Quod Dindorfius etiam *ἀφίγμεθον* pro *ἀφίγμεθα* legi vult et propter exemplum supra memoratum et multa alia, quae infra sequentur, certe reiiciendum est. Praeterea neque apud Aristophanem neque apud alium scriptorum praestantiorum forma primae personae dualis passivi vel medii in *μεθον* exiens invenitur, tribus locis exceptis: Hom. Il. v. 485; Sophocl. Phil. v. 1079, id. Electr. v. 950. [4]) Quae cum ita

---

[1]) cf. Hoogev. ad Vig. p. 40 b; Kühner § 368, 2 b.

[2]) praeterea cf. Kühner § 368, 1 a; de Pindaro etiam O. Erdmann l. c. pag. 8.

[3]) vid. Kock. ad nostrum locum.

[4]) v. Curtius, das Verbum der griech. Sprache I p. 97 sq. ed. I; Gustav Meyer, Griech. Gramm. § 470; Wolff ad soph. Elect. v. 950.

sint, exempla, in quibus generis passivi et medii prima persona pluralis cum participio [1]) dualis numeri copulatur, ut vv. Av. 4. 35. 43 sq. 649 sq. Plut. 445 sq., pro anacoluthis habenda non sunt, sed scriptores, ne forma inusitata uterentur, numeros confudisse statuendum est.

Aliter res se habet si verbi pluralis, quamquam formae dualis numeri in usu sunt, tamen cum duali participii coniungitur, ut supra cum duali pronominis. Quod uno loco animadverti, in vv. Pluti 458 sq. *οὐδὲν γάρ, ὦ πρὸς τῶν θεῶν, νομίζετε | ἀδικεῖν με τὸν πλοῦτον ποιεῖν πειρωμένω | βλέψαι,* quibus verbis Paupertas cum indignatione interrogat Chremylum; hic ne metro quidem quominus *νομίζετον* scriberet poeta impediebatur.

Non multo frequentiora sunt exempla huic contraria, ubi dualis verborum cum plurali participii consociatur; mihi quidem duo tantum obvenerunt; in Plut. v. 429 sq. Paupertas exclamat: *ἄληθες; οὐ γὰρ δεινότατα δεδράκατον, | ζητοῦντες ἐκ πάσης με χώρας ἐκβαλεῖν;* alter locus exstat in incertae fabulae fragmento [in Etym. Magno p. 280, 28 (523 Dind.)] *καταντιβολεῖτον αὐτὸν ὑποπεπτωκότες | ἐκμαίνετον τὸν πατέρα τοῖς ὀρχήμασι,* nisi qua duo fragme[illegible] sunt, id quod Bergkius censet. [2]) Dindorfii coniectura *ὑπ*[illegible]*τωκότε* / οπεπ certe non necessaria est. Separatim praeterea duo loci notandi sunt, quorum in altero vocativus dualis cum verbo plurali, in altero vocativus pluralis cum verbo duali consociatus est; ille est v. Thesm. 282 *ἄλλ', ὦ περικαλλῆ Θεσμοφόρω, δέξασθέ με;* hic v. Pac. 726 sq. *δεῦρ', ὦ κόραι, ἕπεσθον,* ubi ut in reliquis locis poetae notionem dualem semel significasse satis visum est.

Non absunt denique enuntiata, in quibus a plurali in dualem numerum transitur et contra.

Atque a plurali in dualem transit structura Vesp. v. 865 sq. *φήμην ἀγαθὴν λέξομεν ὑμῖν, ὅτι γενναίως ἐκ τοῦ πολέμου | . . . ξυνέβητον* Pac. 414 sq. *ταῦτ' ἄρα . . . παρεκλεπτέτην, | καὶ*

---

[1]) cum adiectivo numquam eam coniungi Fritzschius demonstrat ad Thesm. 1158 p. 529.

[2]) cf. Kockii fragmentorum editionem 625. 626 p. 548.

... παρέτρωγον. Plut. 509. εἰ ... ποθεῖθ' ὑμεῖς, οὔ φημ' ἂν λυσιτελεῖν σφῷν. Av. 641 sq. πρῶτον ... | εἰςέλθετ' ... | καὶ ... φράσατον (ubi tamen cf. Blaydesii annotationem criticam). Ran. 605 ξυνδεῖτε ... | ... ἀνύετον. Plut. 73 ... ἐργάσασθε κοὐκ ἀφήσετον. ibid. 75—76 μέθεσθέ νυν ... | ἀκούετον δή. ibid. 482 ἐὰν ἡττᾶσθε, καὶ σφὼ δεῖ παθεῖν Contraria ratio obtinet: Vesp. 237 sq. φρουροῦντ' ἐγώ τε καὶ σύ · κᾆτα περιπατοῦντε ... | ... λαθόντ' ... | ... κατασχίσαντες. ibid. 381 ... ἢν αἰσθανομένω τούτω ζητῆτον ... | ... τί ποιήσετε; Pac. 469 ἄγετον, ξυνεφέλκετε καὶ σφώ (ubi cf. Richteri annot.) ibid. 950 sq. οὔκουν ἁμιλλήσεσθον ὡς | ... προςδώσετε (v. 955) Plut. 471 ποιεῖτον ... ὅτι ὑμῖν δοκῇ.

Caput III.

Anacoluthiae casuum.

§ 13.

De anacoluthis nominativi.[1])

Anacoluthiae nominativi nascuntur, ubicumque ad subiectum enuntiati verbum finitum aut ita refertur, ut lex grammatica neglegatur, aut omnino omittitur.[2])

Cuius generis anacoluthorum, quamvis frequenter apud alios scriptores, in primis apud Thucydidem[3]), Platonem[4]), poetas tragicos[5]), nec non apud ceteros meliores poetas et scriptores[6]), inveniantur, apud Aristophanem tres tantum species exstant, quarum duae non ad linguae Graecae na-

[1]) cf. Jul. Geisler de Graecorum nominativ. quos vocant absol. (Vratisl. 1845).

[2]) Exceptis iis enuntiatis, in quibus notissimo dicendi genere copula omittitur.

[3]) v. Kampfner l. c. § 12 sq.

[4]) v. Engelhardt l. c. spec. I p. 6 sq.; p. 21, spec. III p. 10, 30; 40; et Schneider. ad Civit. 430 e.

[5]) v. O. Wolterstorff, dictionis Aesch. in dialogis quae sint propr. pag. 9; Wrobel l. c. pag. 52 sqq.; Koch l. c. pag. 40 sq.

[6]) v. Laun l. c. § 3; Kühner § 493 sq.; Richter, de praec. Gr. l. anac. § 1 sq.; Hoog. ad Vig. p. 39 sq. et p. 55; Herm. ad eund. p. 894.

turam revocandae sunt, sed ad neglegentiam quandam aut certum consilium poetae, qui eas, ut sermonis familiaris alacritatem servaret, adhibuit, tertia autem inter Graecae linguae proprietates numeranda est.

Pauca exempla, quae in priores illas species cadunt, ita comparata sunt, ut participium enuntiationis secundariae locum tenens, quamquam sententia primaria alium casum flagitat, in nominativo ponatur.[1])

Atque apud Aristophanem hic casus et pro genetivo (absoluto) et pro dativo commodi qui vocatur usurpatur.

1. nominativus cum participio coniunctus pro genetivo (absoluto) positus est.[2])

Ach. 1165: Chorus Acharnensium Antimacho cum alia multa precatur tum haec: *ἠπιαλῶν γὰρ οἴκαδ' ἐξ ἱππασίας βαδίζων,* | *εἶτα πατάξειέ τις αὐτοῦ μεθύων τὴν κεφαλὴν Ὀρέστης,* ubi, si oratio secundum legem grammaticam composita esset, legeremus: *ἠπιαλοῦντος . . . βαδίζοντος αὐτοῦ τὴν κεφαλὴν πατάξειέ τις Ὀρέστης.*

Simile exemplum libris manuscriptis traditur in Ranis, vv. 1437 sqq. Postquam Bacchus Euripidem et Aeschylum interrogavit, quid urbis saluti profuturum esse censerent, Euripides respondit: *εἴ τις πτερώσας Κλεόκριτον Κινησίᾳ,* | *αἴροιεν αὖραι πελαγίαν ὑπὲρ πλάκα.*

Hos tamen versus cum nonnullis viris doctis spurios esse mihi persuasum est. Nam versus 1437—1442 iam antiquitus ab Aristarcho ut comici ingenio indigni, ab Apollonio, quod nexum orationis turbarent neque ipsi inter se bene iuncti essent, in suspicionem vocati sunt. Quicumque autem recentiorum locum sanare conati sunt, argumenta probabilia non protulerunt. Inter quos Berglerus, Brunckius, Wagnerus et verba ipsa et ordinem versuum libris traditum servanda esse putabant, nisi quod Berglerus, ut Koenius et Paldamus, inepte *πτερῶσαι* pro *πτερώσας* legi

---

[1]) cf. Wentzel: Ueber die sogenannte absolute Participialconstruction der griech. Sprache. Gymn. Progr. Glogau 1857.

[2]) cf. Kühner § 493, 4; Krüger I § 45, 2, 2, II § 45, 1, 1; Kuster ad Arist. Plut. v. 277; Kampfner l. c. § 12 et quae ibi allata sunt exempla ex Homero, poetis tragicis, Herodoto, scriptoribus Atticis deprompta

vult, Brunckius v. 1442 ἕτερον μὲν οἶδα pro ἐγὼ μὲν οἶδα nimis violenter coniicit.

At ordo versuum, quoniam verba ἐγὼ μὲν οἶδα cum versibus antecedentibus omnino non cohaerent, quin defendi nequeat, nemini rem sobrie consideranti dubium videri potest, et Bergleri explicatione vix quidquam frigidius invenitur.

Quae cum ita sint, versus aut ab Aristophane plane abiudicandi et grammatico cuidam tribuendi sunt, quam Aristarchi fortasse sententiam fuisse Fritzschius comprobare studet, aut ordo eorum transpositione mutandus aut locus ad secundam Ranarum editionem ab Aristophane ipso curatam revocandus est.

Hanc sententiam Dindorfius et Bergkius defendunt, illam Dobraeus, Bothius, Fritzschius probaverunt, primam, quae mihi quoque verisimillima videtur, praeter Aristarchum et Apollonium Bentleio, Brunckio, Welckero, Hermanno, Kockio maxime placet. — Tantopere virorum doctorum iudicio inter se differunt.

Ego propterea hominum extremo loco memoratorum sententiam, locum versibus suspectis iisque qui sequuntur 1452—1453, qui ad illos pertinent, eiectis optime sanari posse, sequendam esse arbitror, quod v. 1442 ita cum v. 1436 cohaeret, ut nihil desideretur et oratio perspicua et emendata procedat, mutationes autem ceterae, quas singulas reiicere (quippe quod a viris commemoratis satis factum sit) supervacaneum est, neque ad nostram quaestionem grammaticam spectat, coniecturis magis quam certis argumentis nituntur. Quomodo vero illi versus suspecti in orationem irrepserint, quibus nunc utimur auxiliis certa ratione explorare non possumus.

2. Nominativus anacoluthice ita ponitur, ut, si legem grammaticam spectas, dativus requiratur.[1])

Exempla, quae huc pertinent, ad structuram κατὰ σύνεσιν revocanda sunt. Pac. v. 1242. Trygaeus tubarum fabricatori suadet, ut e tuba faciat cottabum:

---

[1]) cf. Hoogev. ad Vig. p. 39 sq. et p. 55; Richter l. c. § 1, 2 extr.; Engelhardt l. c. sp. I p. 21; Kampfner. l. c. § 13; Wrobel l. c. p. 54; Blaydes. ad Av. v. 47.

μόλυβδον εἰς τουτὶ τὸ κοῖλον ἐγχέας,
ἔπειτ' ἄνωθεν ῥάβδον ἐνθεὶς ὑπόμακρον,
γενήσεταί σοι τῶν κατακτῶν κοττάβων[1])

Poeta, cum enuntiationem inciperet, σχήσεις vel simile quid in animo habebat, quod initii oblitus, cum verbis idem significantibus, sed structurae grammaticae repugnantibus, γενήσεταί σοι commutavit.

Exemplum, siquidem nonnullis libris manuscriptis fides habenda est, simillimum exstat in Avibus. Versus enim 46 sq. codices longe plurimi in hunc modum exhibent: ὁ δὲ στόλος νῷν ἐστι παρὰ τὸν Τηρέα | τὸν ἔποπα, παρ' ἐκείνου πυθέσθαι δεομένω, εἴ που τοιαύτην εἶδε πόλιν ᾗ 'πέπτετο, quae verba Euelpides in expositione de causa itineris profert. δεομένω positum est tamquam si pro ὁ δὲ στόλος νῷν ἐστι antecederet: στελλόμεθα vel πορευόμεθα . . .[2])

At codices non omnes hanc scripturam praebent, Kusteri enim codex Vaticanus exhibet δεομένων, Laurentianus Δ δεομένων δεομένω; Ravennas teste Blaydesio δεόμενοι. Bergkius δεομένων recepit. Dindorfius Scaligeri coniecturam δεομένοιν secutus est. Quae sit scriptura genuina, dubium videri potest. Sed quamquam sententiae loci omnes illae scripturae aptae sunt, ego Veneti et Parisini auctoritatem, praesertim cum nonnulli libri deteriores eandem formam habeant, sequendam esse putaverim.

Locus denique variis lectionibus in dubium non vocatus exstat in Vesp. 133 sqq., ubi in fine prologi Xanthias servus nomina fabulae principum his verbis profert: ἔστιν δ' ὄνομα τῷ μὲν γέροντι Φιλοκλέων, | ναὶ μὰ Δία, τῷ δ' υἱεῖ γε τῳδὶ Βδελυκλέων, | ἔχων τρόπους φρυαγμοσεμνάκους τινάς. Recte hic annotat scholiasta: ἀντίπτωσίς ἐστιν· εὐθεῖα γάρ ἐστιν ἀντὶ δοτικῆς τῆς ἔχοντι. Causa huius anacoluthiae eadem est, atque in exemplis supra prolatis[3]), nisi forte nominativum ἔχων assimilatione quadem ad nomen Βδελυκλέων formatum esse putandum est.

---

[1]) v. Elmsl. ad Ach. 334; Herm. ad Vig. p. 894; Kampfner. l. c.

[2]) v. Kock. ad h. l.

[3]) cf. Kühner § 493.

Pro accusativo nominativus anacoluthice numquam apud Aristophanem usurpatur, cuius anacoluthiae exempla apud alios non desunt.[1])

3. Tertia horum anacoluthorum species exoritur, sicubi notiones vel voces distributivae singularis numeri cum participio coniunctae appositionis loco cum plurali vel duali coniunguntur.[2])

Plut. 782 sq. Chremylus exclamat: *ὡς χαλεπόν εἰσιν οἱ φίλοι | οἱ φαινόμενοι παραχρῆμ᾽ ὅταν πράττῃ τις εὖ· | νύττουσι γὰρ καὶ φλῶσι τἀντικνήμια, | ἐνδεικνύμενος ἕκαστος εὔνοιάν τινα,* ubi structura rite conformata genetivum absolutum (*ἐνδεικνυμένου ἑκάστου*) flagitat, quod idem est Av. 706 sq. Chorus in parabasi, ut aves Amoris liberos esse demonstret, dicit· *διὰ τὴν ἰσχὺν τὴν ἡμετέραν διεμήρισαν ἄνδρες ἐρασταί, | ὁ μὲν ὄρτυγα δούς, ὁ δὲ πορφυρίων᾽, ὁ δὲ χῆν᾽, ὁ δὲ Περσικὸν ὄρνιν.*

Eadem structura nonnumquam etiam invenitur, ubi verbum finitum in secunda vel prima persona ponitur. Vesp. 689 sqq. Bdelycleo, qui patrem commonefacit, quanto peiore conditione utantur iudices defensoribus quamvis flagitiis pollutis, *ὡς*, inquit, *ὅστις ἂν ὑμῶν | ὕστερος ἔλθῃ τοῦ σημείου, τὸ τριώβολον οὐ κομιεῖται, | αὐτὸς δὲ φέρει τὸ συνηγορικόν, δραχμήν, κἂν ὕστερος ἔλθῃ· | καὶ κοινωνῶν τῶν ἀρχόντων ἑτέρῳ τινὶ τῶν μεθ᾽ ἑαυτοῦ, | ἤν τίς τι διδῷ τῶν φευγόντων, ξυνθέντε τὸ πρᾶγμα δύ᾽ ὄντε | ἐσπουδάκατον,* ubi verba *κοινωνῶν — ἑτέρῳ* (scil. *ἕτερος*) pro appositione ad subiectum in verbo *ἐσπουδάκατον* latente habenda sunt.[3])

Vesp. 1082 sq. Chorus vesparum impetu gloriatur atque ferocia, qua contra Persas pugnam inierit: *ἐμαχόμεσθ᾽ αὐτοῖσι, θυμὸν ὀξίνην πεπωκότες, | στὰς ἀνὴρ παρ᾽ ἄνδρ᾽ ὑπ᾽ ὀργῆς τὴν χελύνην ἐσθίων.*

---

[1]) de poetis tragicis vid. Wrobel. l. c. p. 81 sq.; Koch. l. c. p. 38; de Homero Laun. l. c. § 2; de Thucydide: Kampfner l. c. p. 31; praeterea cf. Krüger. I § 56, 9, 4, II § 45, 1, 1; Kühner. § 493, 1; Richter. l. c. p. 7.

[2]) v. Kühner. § 406, 7, cf. etiam § 407, 8—9 et Thiersch. Gr. Gr. § 276, 1.

[3]) cf. Xenoph. Hell. II 2, 3 et quae annotat Büchsenschützius.

Unum denique habeo exemplum, cuius structura similis quidem sed ad aliam causam revocanda est. Av. 202 sq. upupa a Pithetacro interrogata, quomodo aves possit convocare, respondet: *ῥᾳδίως· | δευρὶ γὰρ ἐμβὰς αὐτίκα μάλ' ἐς τὴν λόχμην, | ἔπειτ' ἀνεγείρας τὴν ἐμὴν ἀηδόνα, | καλοῦμεν αὐτούς.* Hic nominativus singularis participii non appositionis loco positus est, sed ut significaretur, upupam illud *ἐμβαίνειν* et *ἀνεγείρειν* solam, hoc vero *καλεῖν* una cum luscinia esse facturam.[1]) Lex grammatica hic quoque, si structura mqua mmaxime servare volumus, flagitat genetivos absolutos: *ἐμοῦ ἐμβάντος . . . ἀνεγείραντος.*

Separatim denique tractandum est anacoluthon, quod exstat in Ach. 515 sq. *ἡμῶν γὰρ ἄνδρες, οὐχὶ τὴν πόλιν λέγω, | ἀλλ' ἀνδράρια μοχθηρά, παρακεκομμένα | . . . | ἐσυκοφάντει Μεγαρέων τὰ χλανίσκια· κεἴ που ἴδοιεν ἢ λαγῴδιον.* Hoc in enuntiato nominativus *ἡμῶν γὰρ ἄνδρες* est in suspenso, cum neutrum *ἀνδράρια*, quod non nisi ut obiectum verbi *λέγω* positum erat, idem subiecti vice fungatur, ad quod imperfectum *ἐσυκοφάντει* refertur. Si structura lege grammatica servata formata esset, pluralis *ἐσυκοφάντουν* ad *ἄνδρες* relatum esset positum. Ceterum animadvertendum est, verbum quod sequitur (520) *ἴδοιεν* rursus ad illum nominativum antea neglectum esse accomodatum.

Ex iis, quae dixi, hoc anacoluthon a poeta neglegentia quadam admissum esse facile intellegitur.

Illud anacoluthorum genus, quod apparet, ubi duo in eadem enuntiatione nominativi nullo vocabulo coniuncti exstant, e quibus alter partem alterius indicat, verbo ad alterutrum spectante, a viris grammaticis structura *καθ' ὅλον καὶ μέρος* vocatum, ut in Iliade v. 211: *ἄμφω δ' ἑζομένω γεραρώτερος ἦεν Ὀδυσσεύς*[2]) apud Aristophanem non invenitur.

§ 14.

Haec hactenus de nominativi anacoluthis. Priusquam autem ad anacoluthias reliquis casibus natas transeamus,

---

[1]) v. Kock. ad h. l.

[2]) alia exempla vid. apud Richter. l. c. § 2.

utile erit, de neutro singulari participii absolute posito dicere, quae forma utrum pro nominativo aut accusativo habenda sit, viri docti adhuc dissentiunt. Henricus Stephanus [1]) eam pro accusativo habet, quae sententia probata est Vigero [2]), Hoogeveno [3]), Buttmanno [4]), Krügero [5]), Madvigio [6]), Kühnero [7]); nominativum autem esse putant Hermannus [8]), Matthiaeus [9]), Thierschius [10]), Bernhardius [11]), Fischerus [12]), Lobeckius [13]), Richterus [14]), Kampfnerus [15]). — Ego fateor de hac quaestione certo iudicio adhuc me non uti; atque id, cum doctissimi homines acie ingenii excellentes alter alterius sententiam impugnent, eo difficilius est, quod nulla fere argumenta sententiis adiecerunt.

Quae cum ita sint exempla, quae apud Aristophanem inveni, attulisse satis habebo.

Usurpatur autem neutrum participii singularis praesentis solutum et pro praesente et pro imperfecto; atque pro praesente apud comicum nostrum haec inveniuntur participia:

1. *ἐξόν*. Ach. 410 *ἀναβάδην ποιεῖς, | ἐξὸν καταβάδην.* Lys. 1016 *πολεμεῖς ἐμοί, | ἐξὸν ... ἐμ' ... ἔχειν φίλειν.* Eccl. 1002 sq. *τί δῆτα κρεάγρας ... ὠνοίμεθ' ἄν, | ἐξὸν καθέντα γρᾴδιον .. | .. τοὺς κάδους ξυλλαμβάνειν;*

2. *δέον*. Nub. 988 *ὥστε μ' ἀπάγχεσθ', ὅταν ὀρχεῖσθαι .. δέον αὐτοὺς .. | .. ἀμελῇ τῆς Τριτογενείης.* Thesm. 540 *εἰ γὰρ οὔσης | παρρησίας κἀξὸν λέγειν .., | εἶτ' εἶπον .. δίκαια διὰ τοῦτο ... με δεῖ δοῦναι δίκην.* Lys. 422 *τἀργύριον νυνὶ δέον.*

3. *προςῆκον*. Plut. 909 *πῶς οὖν ἂν εἴης χρηστὸς ... εἴ σοι προςῆκον μηδὲν εἶτ' ἀπεχθάναι;* Hic unus locus est, in quo *προςῆκον* absolute usurpatur.

---

[1]) de dial. p. 22 sq. [2]) p. 328 sq. [3]) ad Vig. p. 330, 76.
[4]) Gr. Gr. § 145 ann. 7, 2. [5]) Gr. Gr. § 56, 9, 5—7.
[6]) Synt. der Gr. Spr. § 182. [7]) Gr. Gr. § 487.
[8]) ad Vig. p. 769 n. 329. [9]) Gr. Gr. § 564.
[10]) Gr. Gr. § 276, 2. [11]) Synt p. 471.
[12]) ad Well. III p. 392 et ad Ar. Plut. 277.
[13]) ad Phryn. § 278. [14]) de praec. gr. ling. anacol. §§ 5 et 14.
[15]) l. c. § 14; cf. etiam Kuster. et Bergler. ad Ar. Plut. 277, qui defendunt accusativum.

Pro imperfecto usurpata obvenerunt participia *ἐξόν* et *δέον*.

1. *ἐξόν*. Vesp. 698 *σκέψαι τοίνυν ὡς ἐξόν σοι πλουτεῖν* ... | *ὑπὸ τῶν δημιζόντων* ... *ἐγκεκύκλησαι*. Pac. 1080 sq. *ἀλλὰ τί χρῆν ἡμᾶς; οὐ παύσασθαι πολεμοῦντας,* | ... | *ἐξὸν σπεισαμένοις* ... *ἄρχειν*.

2. *δέον*. Lys. 1236 *ὥστ' εἰ μέν γέ τις* | *ᾄδοι Τελαμῶνος, Κλειταγόρας ᾄδειν δέον, ἐπῃνέσαμεν ἄν*.

His adiungo unum locum, in quo participium perfecti absolute positum est. Lys. 13 sq. *εἰρημένον δ' αὐτοῖς ἀπαντᾶν* ... *εὕδουσι*.

In tribus denique exemplis talia participia cum substantivo coniuncta sunt: in Ach. v. 1182 sq. *πτίλον δὲ τὸ μέγα κομπολακύθου πεσὸν* | *πρὸς ταῖς πέτραισι, δεινὸν ἐξηύδα μέλος*.

Plut. 277 *ἐν τῇ σορῷ νυνὶ λαχὸν τὸ γράμμα σου δικάζειν,* | *σὺ δ' οὐ βαδίζεις*; denique in fragmento apud Pollucem VII 67 commemorato (509[b] Dind.): *ἀλλὰ τὸ στρόφιον λυθὲν τὰ κάρυά μοὐξέπιπτεν*.[1])

De hoc usu ab aliis adhibito ex exemplis a viris doctis, quos supra (pag. 50) nominavi, allatis, elucet, scriptores, et Herodotum et Atticos, multo saepius eo usos esse, quam poetas; apud Homerum participia *δέον, ἐξόν, προσῆκον* similia omnino non inveniri recte commemorat Krügerus (Gr. Gr. II § 56, 9, 4).[2])

§ 15.

De anacoluthis accusativi.

Anacoluthiae, quae accusativo nascuntur, apud Aristophanem perpaucae sunt, quamquam hunc casum non minus libere adhibet, quam ceteri scriptores, in primis poetae tragici. Sane, si cum Hermanno[3]) eas structuras, quae accurativum qui vocatur Graecum continent, vel ut Richterus[4]) eas, in

---

[1]) cf. Elmsl. ad Ach. v. 1197; Müller ad Ach. 1182.

[2]) cf. praeterea Koch. l. c. pag. 41; Engelhardt. spec. I pag. 31; Storch. synt. Paus. pag. 34 sq.

[3]) ad Vig. p. 895 sq.

[4]) de praec. Gr. ling. anac. § 6 sq.

quibus hic accusativus cum altero accusativo coniunctus est, pro anacoluthiis habemus, etiam apud Aristophanem multae inveniuntur. At hanc structuram, de qua cf. Rumpel: Casuslehre pag. 157 sqq. et 172 sqq.; inprimis Wunder: Ueber Chr. Aug. Lobecks neue Ausgabe des Soph. Aias p. 10 sqq. et p. 36 sqq.; Lobeck: ad Soph. Aiacem v. 40, p. 86 sqq. et v. 42 p. 98 sq. et Paralipomena p. 501 sqq.; Hartung: Ueber die Casus, (Erl. 1831) p. 50 sqq.; Delbrück, syntakt. Forsch. IV p. 32 sqq.) inter anacoluthias numerari non posse nunc quidem nemo negabit.

Maiore iure eas constructiones anacolutha esse aliquis putaverit, in quibus antecedentem dativum nominis vel pronominis sequitur accurativus participii, cum structura enuntiati dativum requirere videatur.

Sed etiam ex his, si diligentius in earum naturam inquisiverimus, eas tantum anacoluthias esse concedemus, in quibus accusativus non coniunctus est cum infinitivo. At tales loci apud Aristophanem omnino non exstant; satis frequenter autem illi obveniunt, neque solum apud Aristophanem, sed etiam apud alios, in primis apud poetas tragicos, (cf. Wrobel. l. c. § 22 p. 105 sqq.; Koch. l. c. p. 35 sqq.; Porson ad Ar. Plut. v. 286; Herm. ad Vig. p. 771, 217; de scriptoribus vid. Müller: de eloc. Lys. p. 22; Krüger, in indice ad Xen. Anab. sub accusativo; Haacke ad Thucyd. VII 69, IV 2, VII 20; cf. Herodot. VI 109, VII 120; Engelhardt anac. Platon. spec. III pp. 6, 7, 17, 20). Wrobelius pro anacoluthiis eos habet, certe falso, ut Kochius (p. 36) recte animadvertit. Kühnerus (§ 475. 2) paucis verbis recte rem explicat, cum dicat: Wenn zu dem Infinitive adjektivische oder substantivische Praedikatsbestimmungen treten, so stehen dieselben entweder vermittelst einer Attraktion mit dem persönlichen Objekte in gleichem Kasus oder nach Vernachlässigung der Attraktion im Akkusative.

Atque re vera certa ratio de usu accusativi et attractionis statui nequit, et Wrobelii distinctio (p. 105a) nimis subtilis est et quaesita. Sine dubio utraque usurpari potest (cf. Elsmlej. ad Eurip. Herc. 7). Hinc variae illae librorum manuscriptorum lectiones, hinc virorum doctorum coniecturae

atque emendationes mea quidem sententia magna ex parte supervacaneae; nam in universum optimorum librorum scripturas, sive accusativum praebent sive attractionem, retinendas esse censeo.

Quamquam igitur, ut dixi, usum illum accusativi in anacoluthis non numero, tamen, cum veris anacoluthis simillimae et ipsae per se memorabiles sint eae structurae, a me impetrare non possum, quin exempla, quae apud Aristophanem inveniuntur, proponam.

Attractione igitur neglecta accusativus post dativum positus est hic locis: Eq. 30 sq., ubi Demosthenes[1]) de fuga desperans dicit: *κράτιστα τοίνυν τῶν παρόντων ἐστὶ νῷν, | θεῶν ἰόντε προςπεσεῖν του πρὸς βρέτας.* Huic exemplo non dissimiles sunt vv. Eq. 1394 sq. *νῦν ἐγώ σοι παραδίδωμ' ἐς τοὺς ἀγροὺς | αὐτὰς* (scil. *τὰς σπονδὰς*) *ἰέναι λαβόντα,* quae verba dicens Agoracritus Demo pacem triginta annorum offert. Eccl. 1029 sq. anus dicit: *ταῖς πρεσβυτέραις γυναιξὶν ἔστω τὸν νέον | ἕλκειν ἀνατὶ λαβομένας τοῦ παττάλου.* Hic Blaydesius contra omnes libros dativum *λαβομέναις* mavult, causa non addita.

In Vesp. v. 270 chorus senum paullulum subsistens Philocleonem evocare instituit[2]): *ἀλλά μοι δοκεῖ στάντας ἐνθάδ', ὦνδρες, ᾄδοντας αὐτὸν ἐκκαλεῖν.*

Aliter res se habet in v. Eq. 1312, ubi item participii numerus pluralis verba *δοκεῖ μοι* sequitur. Poeta in antepirrhemate parabaseos secundae triremes coniurantes facit, se non parituras esse Hyperbolo scelerato: *ἢν δ' ἀρέσκῃ ταῦτ' Ἀθηναίοις, καθῆσθαί μοι δοκεῖ | εἰς τὸ Θησεῖον πλεούσαις ἢ 'πὶ τῶν σεμνῶν θεῶν.* Omnes libri dativum *πλεούσαις* exhibent; hunc primus in accusativum commutavit Reiskius, quem plurimi recentiorum editorum, Kockius, Meinekius, Velsenius, Dindorfius, Ribbeckius secuti sunt, Bergkio suo iure, ut puto, *πλεούσαις* servante. Nam verba *δοκεῖ μοι* et cum dativo et cum accusativo coniungi posse docent Eurip. Med. vv. 1236 sq. *φίλοι δέδοκται τοὔργον ὡς*

---

[1]) cod. Paris. A.

[2]) cf. Richter, prolegom. ad Vesp. pag. 71.

τάχιστά μοι | *παῖδας κτανούσῃ τῆσδ' ἀφορμᾶσθαι χθονὸς* | *καὶ μὴ σχολὴν ἄγουσαν.* [1])

Pluralis post *μοι* in his duobus locis nihil habet offensionis, quoniam chorus de se ipso vel in eodem enuntiato et pluralem et singularem usurpare potest, cuius structurae alia exempla vid. supra pag. 31 sq.

In nonnullis locis etiam pronomine vel substantivo non antecedente accusativus participii cum infinitivo coniunctus est, quamquam pronominis vel substantivi dativus omissus esse videtur. Eccl. 1003 poeta iuvenem ad vetulam eum in domum trahere conantem per ludibrium facit dicentem: *τί δῆτα κρεάγρας τοῖς κάδοις ὠνοίμεθ' ἂν* | *ἐξὸν καθέντα γράδιον τοιουτονὶ* | *ἐκ τῶν φρεάτων τοὺς κάδους ξυλλαμβάνειν.* Blaydesius in textum recepit *καθέντι*, ad quod *τινὶ* subaudiendum esse dicit, quamquam *καθέντα*, quod libri praebent, aeque probum esse cum Elmsleio concedit. Ceterum nihil impedit, quominus suppleamus *τινά*, quod tamen necessarium non est. Nam accusativus solus positus satis defenditur infinitivo. Hac ratione transitio a plurali in singularem optime explicatur, de qua re vid. supra p. 30, annotationem. Quam ob rem Meinekii coniectura *καθέντα* non opus est.

Similiter formati sunt vv. Plut. 531 sq., ubi Paupertas Chremylo quam necessaria atque utilis ipsa sit demonstrat: *καί τοι τί πλέον πλουτεῖν ἔσται τούτων πάντων ἀποροῦντας;* Haec scriptura vulgata, quam etiam codices Venetus et Parisinus A exhibent, certe singulari *ἀποροῦντα* codice Ravennate (et Arundeliano) tradito praeferenda est. [2])

Lys. 401 sq. chorus senum insolentiam mulierum questus probulo dicit: *ἔλουσαν ἡμᾶς ὥστε θαἰματίδια* | *σείειν πάρεστιν ὥσπερ ἐνεουρηκότας,* ad quos versus Blaydesius annotat: postulari videtur *ἐνεουρηκόσι*, nam post *πάρεστιν* intellegendum *ἡμῖν*, ut in Ran. 303. Sed cum post *πάρεστι*, *ἔξεστι* simil. etiam accusativus cum infinitivo in usu est,

[1]) cf. etiam Haackii annot. ad Thuc. V 79 init. et Xenoph. Anab. 2, 1, 2.

[2]) cf. Kühner. § 475 ann. 2 et Kappeyne van de Coppello, cui accusativus necessarius videtur, „quia est sententia generalis“.

tum hoc loco statuere licet, obiectum *ἡμᾶς* etiam subiecti vice fungi cum infinitivo coniunctum, ut Eccl. v. 647.

Huc etiam pertinent vv. Eccl. 529 sq. Cum Praxagora, quod clam domum reliquerit, ita excuset, ut se ad parientem amicam vocatam esse fingat, Blepyrus ex ea quaerit: *κᾆτ' οὐκ ἦν ἐμοὶ | φράσασαν ἰέναι;* Blaydesius hic quoque sine justa causa coniicit: *ἰέναι φρασάσῃ* (scil. *σοί*), cum accusativus *σε* omissus sit.

Notandus denique propter praeruptam e dativo in accusativum transitionem locus est Eccl. 705 sqq., ubi Praxagora Blepyro leges et instituta reipublicae mulierum futurae explicans cum multa alia tum haec dicit: *τοῖς γὰρ σιμοῖς καὶ τοῖς αἰσχροῖς | ἐψήφισται προτέροις βινεῖν, | ὑμᾶς δὲ τέως … λαβόντας … δέφεσθαι.*[1]) Hanc omnium librorum scripturam omnes editores praeter Blaydesium, qui dativos in accurativos commutat, recte retinuerunt.

Praeter hunc locum attractionem ab Aristophane non raro adhibitam esse apparet ex vv. Pac. 293. 898. 1082 (scil. *ἡμῖν*) Lys. 14. Av. 711 Eccl. 652 aliis, quibus addendum esse puto Eccl. 1155 (*σμικρὸν δ'ὑποθέσθαι τοῖς κριταῖσι βούλομαι· | τοῖς σοφοῖς μέν, τῶν σοφῶν μεμνημένοις κρίνειν ἐμέ.*) Ravennatis auctoritatem secutus,[2]) et Lys. v. 177 sq. (*ταῖς πρεσβυτάταις γὰρ προςτέτακται τοῦτο δρᾶν | … θύειν δοκούσαις καταλαβεῖν τὴν ἀκρόπολιν*). Utrum in vv. Plut. 797 sqq. *οὐ γὰρ πρεπῶδές ἐστι τῷ διδασκάλῳ | ἰσχόδια … τοῖς θεωμένοις | προβαλόντ', ἐπὶ τούτοις εἶτ' ἀναγκάζειν γελᾶν* participio *προβαλόντ'* littera *ι* an *α* desit, cum de hac re quaestio nondum diiudicata sit,[3]) in medio relinquo.

Alii scriptores eodem modo et dativum et accusativum usurpant. Atque apud Homerum[4]) et poetas tragicos in primis apud Euripidem[5]) accusativus frequentior est attractione. De scriptoribus, qui pedestri oratione usi sunt, cf. Kühner. § 475. 2, Krüger Gr. Spr. I § 55, 2, 5—7, et ad

---

[1]) cf. Kühner. § 475 ann. 1.
[2]) cf. Reisig. conj. p. 142.
[3]) vid. Krüger. II § 12, 2, 7.
[4]) vid. Krüger. II § 55, 2, 4.
[5]) vid. Wrobel. p. 105 sqq.; Koch. l. c. p. 36.

Xenoph. Anab. in indice sub accusativo, Kampfner. l. c. pag. 37, Müller de eloc. Lys. pag. 22, Engelhardt l. c. spec. III pag. 20; cf. etiam Blaydesii ad Lys. v. 179 annotationem, in qua exempla ex Aeschylo, Herodoto, Thucydide, Appiano, Luciano deprompta affert.

Anacolutha igitur accusativi, quae suo iure hoc nomen habent, ab Aristophanis fabulis absunt. Praecipue notandum est, ne eiusmodi quidem exempla apud comicum inveniri, in quibus accusativus rei aut personae, de qua agatur grammaticae enuntiationis structurae nulla ratione habita praemittatur, quem usum dicendi sermoni familiari aptum esse facile credas.[1]) In duobus enim exemplis, quae huc spectare aliquis putaverit, Lys 408 sq.: *ὦ χρυσοχόε, τὸν ὅρμον ὃν ἐπεσκεύασας | ... | ἡ βάλανος ἐκπέπτωκεν ἐκ τοῦ τρήματος* (ad quem versum scholiasta annotat: *ἀντὶ τοῦ ὁρμοῦ Ἀττικῶς*) et Plut. 200: *ὅπως ἐγὼ τὴν δύναμιν ἣν ὑμεῖς φατὲ ἔχειν με, ταύτης δεσπότης γενήσομαι*, accusativi *ὅρμον* et *δύναμιν* certe attractione relativorum quae sequuntur *ὃν* et *ἣν* orti sunt, quamquam hos versus inter anacoluthias recte numerari posse non negaverim. Nam is qui legerit *ὅρμον* vel *δύναμιν* certe aliam exspectabit enuntiationem, quam quae re vera sequitur.

§ 16.

De adiectivis a verbis derivatis.

A nostro usu dicendi plane abhorret stuctura adiectivorum, quae, quia a verbis derivata sunt, adiectiva verbalia vocantur. Usurpantur enim ea, quae in *τέος* exeunt, non tam personaliter, quod quidem nostrae cogitandi et dicendi rationi aptum est, quam impersonaliter, ita ut obiectum in eodem casu adiiciatur, quem verbum, unde adiectivum profectum est, flagitat, huius autem ipsius neutrum sive singulare sive plurale ponatur. Cuius structurae exempla, siquidem adiectivum verbale a verbo transitivo derivatur,

---

[1]) cf. Kühner § 496; Richter l. c. § 11.

[2]) cf. Koch l. c. p. 53 § 18, in primis vv. Orest. 1629 sqq.; Benloew l. c. pag. 34.

iure in anacoluthis numerari mihi videntur. Cum enim exemplis, in quibus structura personalis adhibita est, ut in vv. Ach. 259: *ὁ φάλλος ἑκτέος*, Lys. 921: *ψίαθος ἐστ' ἐξοιστέα*, notionem passivam in illo adiectivo inesse demonstretur, ubicumque accusativus ab eo pendet, haec ipsa et activa inter se pugnant, quae confusio structurarum eo referenda est, quod Graecorum animis verbum *δεῖ* cum activo coniunctum obversabatur[1]). Atque haec sunt exempla, quae e comici fabulis notavi: Vesp. 1262 *μαθητέον τἄρ' ἐστὶ πολλοὺς τῶν λόγων*. Pac. 923 *ταύτην* (scil *τὴν Εἰρήνην*) *χύτραις ἱδρυτέον*. Av. 1359 ... *μοι καὶ τόν πατέρα βοσκητέον*. ibid. 1634 *τὴν δὲ Βασίλειαν* ... *γυναῖκ' ἐμοὶ* | *ἐκδοτέον ἐστίν*. Thesm. 1132 ... *ἄλλην τινὰ* | ... *μηχανὴν προσοιστέον*. Eccl. 989 *τηνδεδί μοι κρουστέον*. ibid. 1081 *τάδε δέ σοι ποιητέον*. Plut. 1085 *συνεκποτέ' ἐστί σοι τὴν τρύγα*.[2])

His igitur in enuniatis accusativus adiectivo verbali tributus obiectum actionis exprimit, subiecto in dativo apposito; anacoluthia multo magis notabilis est, sicubi subiectum accusativum induit[3]), quod si fit, copula *ἐστί* omittitur.

Eq. 72 *ποίαν ὁδὸν νῷ τρεπτέον*. Av. 1237 *ὄρνιθες ἀνθρώποισι νῦν εἰσιν θεοί*, | *οἷς θυτέον αὐτούς*, ubi accusativus *αὐτοὺς* perspicuitatis causa[4]) appositus est. In v. Vesp. 1514 optimi libri exhibent: *ἀτὰρ καταβατέον γ' ἐπ' αὐτούς, μῴζυρέ*, quam codicum Ravennatis et Veneti scripturuam a Bekkero et Hirschigio servatam nonnulli viri docti mutandam esse arbitrantur; Bergkius quidem cum vetustioribus editionibus pronomen *μ'* plane omittit. Ego cum propter exempla supra allata, tum quod vv. Eccl. 875 sp. *βαδιστέον* | *ὁμόσ' ἐστὶ δειπνήσοντα κοὐ μελλητέον* eandem stucturam praebent, non video, cur optimorum codicum scriptura mutanda sit.

Praeter Aristophanem tales structurae non nisi apud scriptores Atticos inveniuntur, minus frequenter apud tragicos

---

[1]) cf. Thiersch Gr. Gr. § 280, 6.
[2]) de plurali vid. supra § 5 pag. 24.
[3]) v. Kühner § 427 ann. 2.
[4]) v. Kock. ann. ad Eq. v. 72.

poetas praeter Euripidem[1]), saepius apud scriptores pedestri oratione usos.[2])

Exempla in quibus adiectivum a verbo transitivo derivatum ita cum accusativo coniungitur, ut pro adiectivo participium activi intellegendum sit, ut in Aeschyli Choeph. v. 21: χοὰς πρόπομπος pro χοὰς προπέμπουσα[3]), apud Aristophanem non inveni.

§ 17.

De anacoluthis genetivi.

Perraro etiam genetivi anacolutha apud comicum inveniuntur. Atque talia, in quibus genetivus absolutus pro nominativo participii positus est, quae ab aliis, praecipue a scriptoribus Atticis, interdum admissa sunt[4]), ab Aristophanis fabulis absunt. Idem valet de genetivo absoluto pro accusativo participii posito.[5])

Contra genetivus pro dativo positus, qui apud Homerum[6]) et poetas tragicos[7]) et scriptores, Herodotum[8]), Xenophontem[9]), Pausaniam[10]), Platonem[11]), Thucydidem[12]), saepius legitur, etiam ab Aristophane bis usurpatur.

In vv.: Ran. 127 sq. Bacchus ab Hercule petit, ut sibi

---

[1]) v. Koch l. c. pag. 36 sq. et Krüger § 56, 18, 2.

[2]) v. exempla, quae Kühnerus (§ 427), Krügerus (§ 56, 18, 2—3), Blaydesius (in annot. ad Av. 1237) ex Platone, Thucydide, Demosthene, Xenophonte, Isocrate, Aristotele, Diodoro Siculo, Dionysio Halic., Plutarcho attulerunt.

[3]) cf. Hermann. ad Vig. p. 895.

[4]) vid. Kampfner l. c. § 15 sq.; Kühner § 494; Storch l. c. p. 28 sq. E tragicis Sophoclem haec anacolutha non adhibuisse ostendit Hartzius (de anac. ap. Aesch. et Soph. p. 12 extr.) de Aeschylo et Euripide vid. etiam Wrobel l. c. p. 98. Koch l. c. p. 44.

[5]) cf. Kühner l. c.; Wrobel l. c.; Kampfner l. c. § 17. Storch l. c. p. 28.

[6]) v. Krüger II § 47. 4. 1.

[7]) v. Wrobel et Koch. ll. cc.

[8]) Kühner Gr. G. § 494 c.

[9]) Krüger ad Xen. Anab. I, 4, 12.

[10]) Storch pp. 24 et 28.

[11]) Engelhardt spec. III p. 36.

[12]) Haacke ad I 114; cf. etiam Richter; de praec. l. gr. anac. § 16. 1.

iter ad Tartarum brevissimum et commodissimum indicet. Qui cum ei nonnulla, quae ei minus placent, dixerit, denique interrogat: *βούλει κατάντη καὶ ταχεῖάν σοι φράσω;* ad quae verba Bacchus respondet: *νὴ τὸν Δί' ὡς ὄντος γε μὴ βαδιστικοῦ,* pronomine (*ἐμοῦ*) omisso, id quod plerumque fit in talibus locis.[1]) Haec anacoluthia, quamquam mutatione personae minus offensionis habet, tamen perspicua est; secundum legem grammaticam dicendum fuit: *ὡς ὄντι γε μὴ βαδιστικῷ.*

Alterum exemplum est in Nubibus (v. 1383), ubi Strepsiades filium obiurgat, quod patrem, qui in puerum nutricis et matris munere functus sit, strangulare etiam sit ausus: *μαμμᾶν δ' ἂν αἰτήσαντος ἧκόν σοι φέρων ἂν ἄρτον.*

Poeta has enuntiationes propterea sine dubio anacoluthice conformavit, ut eas solutiore modo enuntiatis primariis apponens vim earum augeat.

Annot: In utroque loco, ut iam indicavi, pronomen (*ἐμοῦ* et *σοῦ*) desideratur. Atque id apud Aristophanem tam frequens est, ut hanc pronominis omissionem, quamquam etiam apud alios[2]) invenimus, illi inprimis placuisse statuendum sit. Hos enim praeterea locos notavi: Desideratur

1. accusativus pronominis

a) in structura accusativi cum infinitivo subiecti loco usurpatus:

α) *αὐτόν* Eq. 1161 (aut *σε*) Pac. 1175, Ran. 741

β) *σέ* Pac. 128, Lys. 472, Eccl. 529, 647 (*εἴ σε φιλήσειεν Ἀρίστυλλος φάσκων αὑτοῦ πατέρ' εἶναι.* Hic Bergkii coniecturam *αὑτὸν* comprobare non possum, quoniam totius enuntiationis sententia generalis ea est, novis legibus constitutis periculum esse, ne quis scelerati hominis pater appelletur. Ceterum obiectum quod antecedit *σὲ* facile animo potest suppleri, ut Lys. 401.)[3])

δ) *ἐμέ* Pac. 333[4])

---

[1]) v. Kühner § 494, 1; Krüger I § 47, 4. 3.

[2]) de Homero vide Krüger II § 60, 7, 1; de Herodoto Abicht. ad III 62; de Xenophonte: Krüger ad Anab. I 3, 4; 5, 2. IV 1, 17. VII 1. 10. De Platone eundem. Gr. Gr. I 47, 4, 3. 60, 7, 1.

[3]) cf. supra pag. 54 extr.

[4]) v. scholiastae annot.

ε) ἡμᾶς Pac. 1327, Lys. 680, Thesm. 496, Ran. 407.

ζ) ὑμᾶς Lys. 1061. 1066, Thesm. 466, Eccl. 180. 1159.

η) νώ Av. 356.

b) obiecti loco positus.

α) αὐτόν Eq. 842. 993, Nub. 370. 1126 (ubi αὐτόν ad pronomen τις in v. 1121 referendum est) Thesm. 32, Plut. 71.

β) αὐτήν Nub. 524. 677.

γ) αὐτούς Eq. 607. 628.

δ) αὐτάς Eccl. 232.

ε) ἐμέ Thesm. 871, Nub. 1499 (aut ἡμᾶς).

ζ) σέ Nub. 901, Eq. 908, Eccl. 261 (ubi etiam accusativus, qui ad infinitivum pertinet, αὐτούς deest, quamobrem Blaydesius σὲ addi vult). Plut. 142. 538.

η) ἐμαυτόν Nub. 422.

ϑ) ἡμᾶς Av. 1114, Eq. 466, Plut. 280.

ι) ὑμᾶς Av. 426.

2) dativus pronominis.

α) σοί Ran. 121.

β) σαυτῷ Thesm. 251.

γ) ἡμῖν Pac. 1082.

δ) ὑμῖν Lys. 698 (Blaydes.)

3. genetivus pronominis in structura genetivi absoluti.

α) ἐμοῦ Ach. 984.[1]) Lys. 826.

β) αὐτοῦ Eq. 60.

Anacoluthiae dativi ab Aristophanis fabulis plane absunt.[2])

Caput IV.

Anacoluthiae personae.

§ 18.

Secundum legem grammaticam in prima paragrapho commemoratam verbum subiecti et numerum et personam sequi oportet. Atque de numero quidem et quae anacoluthiae inde nascantur, iam supra (cap. II) dictum est; restat igitur ut ea exempla afferam, quae nascuntur, sicubi verbi persona

---

[1]) vid. schol.

[2]) In universum cf. Wentzel: de genetivis et dativis absolutis. Vratislav: 1828 diss. inaug.

alia est, atque pro casu antecedente aut persona subiecti expectatur. Huc pertinet mira illa structura, quae quidem a tragicorum cum aliorum tum Euripidis dialogis[1]) non abest, ab Aristophane autem ita crebro usurpatur, ut sermonis vulgaris propriam eam fuisse appareat, dico imperativi alterius personae cum nomine *πᾶς* coniunctionem, vividum Graecorum dicendi genus optime illustrantem. Certat enim, ut ita dicam, tertia persona cum secunda, ita tamen ut in iis, quae sequuntur, secunda praevaleat, ut in Av. v. 1190: *φύλαττε πᾶς* ... — *μή σε λάθῃ τις,* ubi fortasse aliquis exspectaverit: *μὴ αὐτὸν λάθῃ τις,* quod quidem legi grammaticae non magis repugnaret quam illud.

Reliqua exempla sunt: Ach. 204 *τῇδε πᾶς ἕπου, δίωκε*; ibid. 282 *παῖε πᾶς τὸν μιαρόν, οὐ βαλεῖς*; Vesp. 422 *ἅπας ἐπίστρεφε* | *δεῦρο κἀξείρας τὸ κέντρον* ... *ἴεσο*; Pac. 301 *δεῦρο πᾶς χώρει*; ibid. 458 *ὑπότεινε δὴ πᾶς καὶ κατάγε τοῖσι κάλως*; ibid. 510 *ἀλλὰ πᾶς ἀνὴρ προθυμοῦ*, et 512 *ἄγε νῦν, ἄγε πᾶς*; Av. 1186 *χώρει δεῦρο πᾶς ὑπηρέτης*; ibid. 1196 *ἄθρει δὴ πᾶς τις*; Thesm. 372 *ἄκουε πᾶς*; ibid. 956 *ῥυθμὸν χορείας ὕπαγε πᾶσα*; Ran. 372 *χώρει νῦν πᾶς ἀνδρείως*; ibid. 1125 *ἄγε δή, σιώπα πᾶς ἀνήρ*; Eccl. 501 *ἐπείγου* | *ἅπασα καὶ μίσει σάκον πρὸς τοῖν γνάθοιν ἔχουσα.*

Annot.: Inter has anacoluthias eos quoque locos enumerare fortasse aliquis velit, in quibus *ἕκαστος, ἑκάτερος* similiaque pronomina cum imperativi pluralis altera persona coniunguntur, ut Ran. vv. 1379 et 1435 *ἑκάτερος εἴπατον,* ibid. 1422 *ἔχετον* | *γνώμην ἑκάτερος,* fragm. apud Athenaeum 3 p. 110 sq. (420 Dind.) *λαμβάνετε κόλλαβον ἕκαστος.*

Sed haec pronomina non subiecta sunt verba regentia, sed appositionis tantum distributivae quae vocatur loco ad subiectum in verbo latens apposita.

At ne quis hic dicat, etiam *πᾶς* cum secunda persona coniunctum hac ratione explicari posse. Nam hoc tum solum fieri posset, si persona secunda in plurali vel duali posita esset. Alia enim appositio atque distributiva in voce *πᾶς* propter notionem eius collectivam statui nequit. Quae cum

---

[1]) v. Kühner Gr. Gr. § 371, 4 γ.

ita sint, Müllero assentiri non possum, qui ad Ach. v. 242 (πρόιθ' ἐς τὸ πρόσθεν .. ἡ κανηφόρος) cum locis, in quibus πᾶς cum secunda imperativi persona coniungitur, eos ut similes comparat, in quibus nominativus singularis substantivi cum imperativo secundae personae coniunctus est.

Caput V.
De epanalepsi.
§ 19.

Prolatis, quae de singularum vocum anacoluthiis in promptu habuimus, nunc ad ea anacolutha transeamus, quae pariuntur, sicubi totae enuntiationes ita aliis annectuntur, ut aliter procedant, atque pro structura incepta exspectandum fuit. Quod ita fieri potest, ut aut membrum orationis concinnitati necessarium omittatur vel ratione cum lege grammatica non congruente ponatur, aut ita, ut voces, quae additae sunt, supervacaneae esse videantur. Atque illius quidem generis anacolutha praecipue particulis inter se non respondentibus exorta, de quibus, quamquam iam a Iulio Wehr[1]) haud exiliter disputatum est, multa praeterea dicenda erunt, in altera huius dissertationis parte accuratius tractabo.

De iis vero locis, in quibus voces structura non postulante adduntur, nunc quae animadverti proponere liceat. Atque huc epanalepsis spectat et pleonasmus. At pleonasmus, quippe qui eandem sententiam vel notionem duobus quidem modis exprimat, structuram autem nullo modo turbet, inter anacoluthias numerandus non est.

Quamobrem earum tantum enuntiatorum, in quibus epanalepsi sententiae tenor interrumpitur, hoc loco rationem habebimus.

Epanalepsis igitur apparet, sicubi notio antecedens aliis verbis interpositis in oratione sequenti aut voce singulari aut enuntiatione repetitur, ut initium orationis recipiatur et in memoriam revocetur, aut ut sententiae posterioris vis augeatur.

Huius generis anacoluthiae maxime sermonis quotidiani

---

[1]) Quaestiones Aristophaneae. Pars prima, Gottingae 1869.

propriae sunt, quamobrem in primis apud Platonem inveniuntur. Neque tamen apud alios poetas et scriptores desunt, de quibus annotationes, quae infra sequentur, conferas.

Atque haec sunt apud Aristophanem formae epanalepseos:

I. Singula vox repetitur [1]):

a) Pronomen idem repetitur: Ach. 383 *νῦν οὖν με πρῶτον, πρὶν λέγειν ἐάσατε | ἐνσκευάσασθαί μ᾽ οἷον ἀθλιώτατον.* [2])

Pronomen interrogativum iteratur in v. Nub. 351 *τί γάρ, ἢν ἅρπαγα . . κατίδωσι Σίμωνα, τί δρῶσιν*; ubi *τί* interrogantis alacritatem indicare Teuffelius recte annotat. Eodem modo repetitum est *πῶς* Nub. v. 398.

b) Pronomen demonstrativum alio pronomine demonstrativo repetitur: Nub. 62 *μετὰ ταῦθ᾽ ὅπως νῷν ἐγένεθ᾽ υἱὸς οὑτοσὶ | . . . | περὶ τοὐνόματος δὴ ᾽ντεῦθεν ἐλοιδορούμεθα,* ubi *μετὰ ταῦθ᾽* adverbio *ἐντεῦθεν* more sermonis familiaris iteratur. Similiter Nub. 353 *ταῦτ᾽ ἄρα, ταῦτα Κλεώνυμον αὗται* (scil. *αἱ νεφέλαι*) *τὸν ῥίψασπιν χθὲς ἰδοῦσαι, | ὅτι δειλότατον τοῦτον ἑώρων, ἔλαφοι διὰ τοῦτ᾽ ἐγένοντο,* quo in exemplo, ut in supra allato, alacritas orationis causa repetitionis est.

c) Nomen pronomine repetitur: Vesp. 281 *τάχα δ᾽ ἂν διὰ τὸν ἄνθρωπον, ὃς ἡμᾶς διέδυτ᾽ | . . . | διὰ τοῦτον δ᾽ ὀδυνηθείς* [3]); Thesm. 305 (*εὔχεσθε ταῖν Θεσμοφόροιν*) *καὶ τὴν δρῶσαν καὶ τὴν ἀγορεύουσαν τὰ βέλτιστα . . . ταύτην νικᾶν*; Ran. 1183 *ἀλλὰ κακοδαίμων φύσει, | ὅντινα . . . Ἀπόλλων ἔφη | ἀποκτενεῖν τὸν πατέρα, . . | πῶς οὗτος ἦν τὸ πρῶτον εὐδαίμων ἀνήρ;*

Quibus in exemplis propter enuntiationis interpositae longitudinem perspicuitatis causa non necessaria quidem

---

[1]) cf. de Platone Engelh. l. c. sp. I p. 10, 16, 18; de Homero et Herodoto Krüger Gr. II § 51, 5, 1; de Xenophonte Krüger: ad Anab. VI 4, 6; Kühner § 469, 4; de Pausania Storch p. 17; de Thucydide Kampfner § 7, de tragicis Fries., de anac. Soph. II § 1; Koch, de anac. ap. Eur. pp. 13 et 17.

[2]) v. A. Mülleri ad h. l. ann.

[3]) sequor Reisigium Conj. p. 51—52.

epanalepsis, attamen utilis est. Neque tamen tales desunt loci, in quibus brevissima enuntiatione interiecta nomen antecedens pronomine recipitur. Quod si fit vis substantivi pronomine iterato quam maxime fieri potest augetur. Huc duo exempla pertinent: Thesm. 149 sq. *χρὴ γὰρ ποιητὴν ἄνδρα πρὸς τὰ δράματα, | ἃ δεῖ ποιεῖν, πρὸς ταῦτα τοὺς τρόπους ἔχειν;* Thesm. 570 *τὸν σήσαμον ὃν κατέφαγες τοῦτον χεσεῖν ποιήσω.*

Annot.: Duo loci vv. Eq. 199 et Av. 985, in quibus epanalepsis totius enuntiationis particulis *τότε δή* effecta usurpatur, exstant in oraculis, in quibus Comicus epicorum dicendi usum per iocum sequitur; cf. Iul. Wehr: quaestiones Aristophaneae, pars I pag. 61 sq.

In paucis exemplis, quae huc spectant, non pronomen *οὗτος*, sed *αὐτός* ad nomen vel pronomen, quod antecedit, pertinet, structura non flagitante; qui usus a nostra dicendi ratione plane est alienus, a Graecorum autem et scriptoribus et poetis non raro adhibetur, ut ex locis librorum, quos commemoravi, supra allatis satis elucet.[1])

Haec exempla sunt: Pac. 635 sq. *οἱ δὲ . . | τήνδε μὲν δικροῖς ἐώθουν τὴν θεὸν κεκράγμασιν, | πολλάκις φανεῖσαν αὐτήν,* ubi *αὐτήν* pro pronomine ipsam positum esse nequit.

Similis locus est Ran. 761 sq. *νόμος τις ἐνθάδ' ἐστὶ κείμενος | . . . | τὸν ἄριστον ὄντα τῶν ἑαυτοῦ συντέχνων | σίτησιν αὐτὸν ἐν πρυτανείῳ λαμβάνειν.*

In utroque loco pronomina *αὐτήν* et *αὐτόν* plane supervacanea sunt.

His exemplis contrarius est v. Av. 932 *τουτὶ παρέξει τὸ κακὸν ἡμῖν πράγματα, | εἰ μή τι τούτῳ δόντες ἀποφευξούμεθα,* ubi sententiae aptius est *αὐτῷ*; nisi cum Hamakero, Meinekio, Kockio *γ' αὐτῷ* emendandum est, quod, cum similis locus apud comicum non exstet, non plane abnuerim.[2])

d) pronomen repetitur substantivo: Nub. 591 *ἢν Κλέωνα . . . δώρων ἑλόντες καὶ κλοπῆς, | εἶτα φιμώσητε τούτου*

---

[1]) cf. etiam Hoogev. ad Vig. p. 171.

[2]) cf. nonnulla exempla ex aliis deprompta apud Kühner. § 467, 7.

'ν[1]) *τῷ ξύλῳ τὸν αὐχένα,* | *αὖθις ἐς τἀρχαῖον ὑ μ ῖ ν, εἴ τι κἀξημάρτετε,* | *ἐπὶ τὸ βέλτιον τὸ πρᾶγμα τ ῇ π ό λ ε ι συνοίσεται,* ubi poeta neglegentia quadam sermonis familiaris propria substantivum *τῇ πόλει* ad pronomen *ὑμῖν* explicandum addidit.

e) plura nomina pronomine ea comprehendente repetuntur. Huc pertinent vv. Nub. 420 sqq. *ἀλλ' ἕνεκέν γε ψυχῆς στερρᾶς δυσκολοκοίτου τε μερίμνης,* | *καί φειδωλοῦ καὶ τρυσιβίου γαστρὸς καὶ θυμβρεπιδείπνου* | *ἀμέλει, θαρρῶν, εἵνεκα τούτων ἐπιχαλκεύειν παρέχοιμ' ἄν,* siquidem cum Hermanno et Kockio distinguimus, cum Teuffelius, voce *ἀμέλει* non pro interiectione, sed pro imperativo habita, distinguat: *ἀμέλει θαρρῶν· εἵνεκα τούτων* e. q. s., quo facto voce *εἵνεκα* nova sententia incohatur.

f) Ea quoque enuntiata hic afferre mihi liceat, in quibus pronomen indefinitum repetitur pronomine demonstrativo casu eodem manente. Exempla tria, quae huc pertinent, in Avium parabaseos iis partibus, quae epirrhema et antepirrhema appellantur, exstant, quarum et sententia et metrum magnam indicant alacritatem.

Ceterum in omnibus his locis protasis coniunctione *εἰ* incohatur. Exempla sunt: Av. 761 *εἰ δὲ τυγχάνει τις ὑμῶν δραπέτης ἐστιγμένος,* | *ἀτταγᾶς οὗτος παρ' ἡμῖν ποικίλος κεκλήσεται.* 786 sq. *αὐτίχ' ὑμῶν τῶν θεατῶν εἴ τις ἦν ὑπόπτερος,* | ... | *ἐκπτόμενος ἂν οὗτος ἠρίστησεν.* 793 sq. *εἴ τε μοιχεύων τις ὑμῶν ἐστιν ὅστις τυγχάνει,* | ... | *οὗτος ἂν πάλιν παρ' ὑμῶν πτερυγίσας ἀνέπτατο.*

g) verbum finitum quod vocatur repetitur. In tribus exemplis, in quibus haec epanalepsis apparet, verba dicendi iterantur. Nub. 1048. In certamine oratoris iusti et iniusti hic illum rogat: *καί μοι φράσον τῶν τοῦ Διὸς παίδων τίν' ἄνδρ' ἄριστον* | *ψυχὴν νομίζεις, εἰπέ, καὶ πλείστους πόνους ποιῆσαι.*

Plut. 40. Chremylus Carioni Apollinis oraculum his verbis explicat: *σαφῶς γὰρ ὁ θεὸς εἶπέ μοι τοδί·* | *ὅτῳ ξυναντήσαιμι πρῶτον ἐξιών,* | *ἐκέλευε τούτου μὴ μεθίεσθαι*

---

[1]) *'ν* addit Sauppius.

μ' ἔτι. Hic igitur verbum *εἰπεῖν*, cuius notio latius patet, verbo magis circumscripto *κελεύειν* iteratur. In vv. Nub. 1135 sqq. *πᾶς γάρ τις ὄμνυσ', οἷς ὀφείλων τυγχάνω, | θείς μοι πρυτανεῖ' ἀπολεῖν μέ φησι κἀξολεῖν.* Verbum *φησι* vocem quae antecedit *ὄμνυσ'* repetit, nisi qua participium *ὀμνὺς* pro *ὄμνυσ'* legendum est (v. Kock.).

Separatim his locis adiungo v. Eccl. 655 *πῶς, ἤν τις ὄφλῃ παρὰ τοῖς ἄρχουσι δίκην τῳ, | πόθεν ἐκτίσει ταύτην;* ubi *πῶς* adverbio *πόθεν* repetitur.

II. Enuntiationes repetuntur.

Ut singula verba sic etiam totae enuntiationes, plerumque ut vis earum augeatur, pronominibus sive particulis breviter eas comprehendentibus tamquam denuo ponnuntur.[1]) Quod fit

a) singulis verbis.

Ac primum quidem enuntiationes coniunctione *ὅτι* incohatas sive causam sive factum significantes subsequuntur verba *διὰ τοῦτο* et *τοῦτο* ad sententias illas antecedentes pertinentia. Atque *τοῦτο* enuntiatum quod antecedit repetens ponitur in v. Av. 1176; nuntius Pithetaero, cum interrogaverit, quis sit deus, qui in urbem involaverit, respondet: *οὐκ ἴσμεν, ὅτι δ' εἶχε πτερά, | τοῦτ' ἴσμεν.*

Idem est in v. Vesp. 741. Bdelycleo, quod pater conditionum ab ipso prolatarum rationem habere non videatur, aegre ferens dicit: *ἀλλ' ὅτι σιγᾷ κοὐδὲν γρύζει, τοῦτ' οὐ δύναταί με προσέσθαι.*

Διὰ τοῦτο invenitur illo modo usurpatum in v. Nub. 355: *καὶ νῦν γ' ὅτι Κλεισθένη εἶδον, ὁρᾷς, διὰ τοῦτ' ἐγένοντο γυναῖκες* (scil. *αἱ νεφέλαι*), cui exemplo simillimus est v. Plut. 1014 .. *ὅτι προσέβλεψέν μέ τις | ἐτυπτόμην διὰ τοῦθ'.*

Tum eadem structura efficitur sententiis coniunctionibus *ὡς* et *ὅπως* incohatis, ut Eq. 779: *ὡς δ' οὐχὶ φιλεῖ σ'... τοῦτ'*

---

[1]) de hac epanalepsi apud poetas tragicos v. Fries. l. c. § 2 sq.; de Xenoph. et Platon. Krüger. Gr. G. I § 65, 9, 2; Engelhardt. l. c. spec. I pp. 10 sq., 22, 27, 34; spec. II pp. 8. 12 sq., 16, 19, 23, 25, 33 sq.; spec. III pp. 4, 9, 12, 23; de Thucydide Kampfner. pag. 3; de Pausan. Storch. pp. 24, 28.

αὐτό σε πρῶτα διδάξω. Ceteri loci sunt Av. 481, Nub. 1198, Vesp. 653. Huc etiam pertinent vv. Nub. 1262 et 395, ubi eadem ratione sententiae pronomine ὅστις et particula πόθεν incohatae neutro τοῦτο repetuntur. In versibus denique Nub. 60 sq. adverbium ἐντεῦθεν et verborum quae antecedunt μετὰ ταῦτα sententiam denuo exprimit et enuntiatum particula ὅπως inceptum comprehendit et repetit.[1])

b) totis enuntiationibus.

Quae huius structurae exempla apud Aristophanem observavi, in his et protasis iteratur et apodosis vel enuntiatio primaria, multo saepius autem protasis.

Nam enuntiationem primariam uno tantum loco observavi repetitam[2]) Thesm. 498 sqq. οὐδ' ἐκεῖν' εἴρηκέ πω | ὡς ἡ γυνὴ . . . | τὸν μοιχὸν ἐξέπεμψεν, οὐκ εἴρηκέ πω. Enuntiatum igitur ab utraque parte inclusum et ab illis verbis οὐδ' εἴρηκέ πω in initio positis pendet et ab iisdem postea repetitis, quae ratio dicendi optime decet Mnesilochi studium atque alacritatem[3]). Ceterum, ut hoc loco, negatio repetita est in vv. Lys. 61. Thesm. 492. 560.

Saepius, ut dixi, protasis ad vim sententiae eius augendam repetitur, quae exempla ad verbum exscribam. Eq. 1340 sqq.: Agoracritus Demum de stultitia, qua ab adulatoribus decipiatur, obiurgans: πρῶτον μέν, inquit, ὁπότ' εἴποι τις ἐν τἠκκλησίᾳ, | ὦ Δῆμ', ἐραστής εἰμι σὸς . . τούτοις ὁπότε χρήσαιτό τις προοιμίοις | ἀνωρτάλιζες, ubi verba ὁπότ' εἴποι τις mutata atque dilatata repetuntur. — In v. Thesm. 789 chorus mulierum contra virorum opprobria cum aliis tum his verbis se defendit: εἰ κακόν ἐσμεν, τί γαμεῖθ' ἡμᾶς, εἴπερ ἀληθῶς κακόν ἐσμεν.

Repetitio etiam inest in v. Plut. 112 σοὶ δ' ὡς ἂν εἰδῇς

---

[1]) cf. Maetzner ad Antiph. 1, 17.

[2]) Quamobrem de Aristophanis quidem fabulis id quod Fritzchius ad Thesm. 789 annotat, duplice apodosi nihil esse pervulgatius, probare nequeo.

[3]) cf. etiam Fritzschii ad h. l. ann. et quae exempla ex Sophoplis tragoediis contulit Friesius l. c. II § 2; ex Platone Engelhardt. l. c. pp. 12, 22 sq.

ὅσα γενήσετ' ἀγαθὰ πρόσεχε τὸν νοῦν, ἵνα πύθῃ. At quoniam πυνθάνεσθαι conditionem et quasi aditum ad εἰδέναι significat, non plane pro tautolologia illa repetitio habenda est.

Iam elegantissimum exstat exemplum in v. Ran. 736. Poeta antepirrhemate Atheniensibus, ut missis hominibus improbis bonis atque honestis civibus utantur, suadens finem facit orationis verbis: κἄν τι σφαλῆτ', ἐξ ἀξίου γοῦν τοῦ ξύλου, | ἤν τι καὶ πάσχητε, πάσχειν τοῖς σοφοῖς δοκήσετε. Poeta, postquam protasi praemissa iam apodosin incepit, illam repetiisse videtur, aut quod verbum σφαλῆναι durius dictum esse ei videbatur, aut ut protasin apodosi verbo πάσχειν repetito similiorem redderet. Illud quidem sine ulla dubitatione accidit in v. Ran. 494. Bacchus ianitoris contumeliis in Herculem, quem ipse imitatur, dictis perterritus a Xanthia servo ut clava et pelle leonina sumpta eius personam suscipiat, his verbis petit: ἴθι νῦν, ἐπειδὴ ληματιᾷς κἀνδρεῖος εἶ, | σὺ μὲν γενοῦ 'γώ, τὸ ῥόπαλον τουτὶ λαβὼν | καὶ τὴν λεοντήν, εἴπερ ἀφοβόσπλαγχνος εἶ. Protasi repetita hic Bacchus cum dubitatione quadam exprimit, quod antea ut certam rem dixerat.

Anacoluthia non structurae quidem, sed sententiae exoritur, sicubi enuntiatione primaria idem significatur atque protasi antecedente. Cuiusmodi mirae repetitionis exemplum exstat in v. Ran. 1109. Chorus initiatorum Euripidem et Aeschylum, ne de pugna desistant, excitant; spectatores enim, quidquid subtile et argutum illi prolaturi sint, esse intellecturos: εἰ δὲ τοῦτο καταφοβεῖσθον, μή τις ἀμαθία προσῇ | τοῖς θεωμένοισιν, ὡς τὰ | λεπτὰ μὴ γνῶναι λεγόντοιν, | μηδὲν ὀρρωδεῖτε τοῦθ'. Poeta igitur protaseos quodam modo oblitus pergit, tamquam si antea dixisset: εἰ δὲ νομίζετε ἀμαθίαν προςεῖναι vel simile quid; pergere enim debuit: λέγω ὑμῖν, ταῦτ' οὐκέτι οὕτως ἔχειν.

In Av. 1221 sq. Pithetaerus ad Iridem dicit: ἆρα γ' οἶσθα τοῦθ', ὅτι | δικαιότατ' ἂν ληφθεῖσα πασῶν Ἰρίδων | ἀπέθανες, εἰ τῆς ἀξίας ἐτύγχανες; hic sententia verborum τῆς ἀξίας et δικαιότατα eadem est.

Structuram insueto modo contortam atque difficilem inveni in vv. Av. 1709 sqq., quibus nuntius regis Pithetaeri

adventum pronuntiat: *προσέρχεται γὰρ οἷος οὔτε παμφαὴς* | *ἀστὴρ ἰδεῖν ἔλαμψε χρυσαυγεῖ δόμῳ*,[1]) *οὐθ' ἡλίου τηλαυγὲς ἀκτίνων σέλας* | *τοιοῦτον ἐξέλαμψεν, οἷον ἔρχεται* | *ἔχων γυναικὸς κάλλος*. Duplex repetitio in his verbis inest; repetuntur enim iisdem verbis et protasis et apodosis, ita tamen, ut, quae verba in initio in protasi posita sunt, iis apodosis conformetur et contra: *προσέρχεται γὰρ οἷος . . . ἔλαμψε — τοιοῦτον ἐξέλαμψεν οἷον ἔρχεται,* quod quidem ita fit, ut prioris protaseos altera pars: *οὐθ' ἡλίου τηλαυγὲς ἀκτίνων σέλας* anacoluthice in apodosin commutetur, quam ipsam rursus protasis sequitur.[2])

Ratione locorum adhuc allatorum explicandos esse existimo etiam versus Nub. 331—334: *οὐ γὰρ μὰ Δί' οἶσθ' ὁτιὴ πλείστους αὗται βόσκουσι σοφιστάς, θουριομάντεις, ἰατροτέχνας, . . . ἄνδρας μετεωροφένακας,* | *οὐδὲν δρῶντας βόσκουσ' ἀργούς, ὅτι ταύτας μουσοποιοῦσιν,* quibus verbis Socrates Strepsiadi demonstrat, nubes esse deas et tantum abesse, ut fumus et ros et nebula sint, ut etiam sophistas et poetas alant. Interpunctionem minorem post *σοφιστάς* vulgo adhibitam Godofredus Hermannus in maiorem mutavit, quae mutatio mihi non minus improbabilis videtur, quam quae a Brunckio aliisque editoribus proposita est post versum 332. Nam illa voces et notiones artissime cohaerentes nimis distrahuntur, hac vero, id quod Hermannus recte animadvertit, oratio inconcinna redditur. Praefero igitur interpunctionem vulgatam et cum Teuffelio verbum *βόσκουσι* post longiorem enumerationem anacoluthice repetitum esse existimo. Ceterum, si quis utique orationem concinnam servari volet, Kockium, qui post v. 332 maiorem interpunctionem ponit, optime eum secuturum esse puto.

Quibus peractis reliquum est, ut de eo epanalepseos genere disputemus, quod apparet, ubi particulae *εἶτα, ἔπειτα, οὕτως, ὧδε, κᾆτα, κᾄπειτα* participium subsequuntur.

Atque anacoluthia in primis insignis efficitur, ubi *κᾆτα* et *κᾄπειτα* praecedente participio apodosin incipiunt. Nam

---

[1]) Kiehlius in Mnemosyne 2, p. 107 coniicit *δρόμῳ*.

[2]) v. Kock. ad h. l.

cum structura participio conformata a sententia primaria pendeat, particula vero καὶ enuntiationes non nisi parem locum in structura tenentes alteram alteri annectet, illa iunctione confusio duarum structurarum efficitur, quae cogitandi rationi magnopere repugnat.

Exempla huius structurae, quae praeter Aristophanem et Platonem comicum [1]) non nisi apud eos scriptores Atticos inveniri videtur, qui sermonem familiarem sive natura sive consilio sequuntur, ut apud Platonem et Xenophontem [2]) apud nostrum comicum haec sunt, quae breviter commemorasse sufficiet:

1. κᾆτα participium sequitur significans

a) et deinde (und dann) Nub. vv. 408 (ἔπαθον τουτί) ὀπτῶν γαστέρα τοῖς συγγενέσι κᾆτ' οὐκ ἔσχων ἀμελήσας [3]) Av. v. 1456 (πτέρου με) ὡς ἂν τοὺς ξένους καλεσάμενος κᾆτ' ... | κατ' αὖ πέτωμαι. Av. 673 sq. ἀλλ' ὥσπερ ᾠὸν νὴ Δί' ἀπολέψαντα χρὴ | ἀπὸ τῆς κεφαλῆς τὸ λέμμα κᾇθ' οὕτω φιλεῖν, ubi tres particulae, quas structura non requirit, cumulatae sunt. Lys. 560 (γελοῖον) ὅταν ἀσπίδ' ἔχων καὶ Γοργόνα τις κᾆτ' ὠνῆται κορακίνους, quo in versu participium etiam concessionem significare potest, ut κᾆτα vertendum sit: und doch.

b) significans attamen (und doch) Eq. 391 sq. ἀλλ' ὅμως οὗτος τοιοῦτος ὢν ἅπαντα τόν βίον, | κᾆτ' ἀνὴρ ἔδοξεν εἶναι (vid. supra).

2. κἄπειτα participium sequitur significans et deinde (und dann): Nub. 623 sq. Chorus nubium, postquam, quod Athenienses Hyperbolo hieromnemone anni compositionem mutassent et dierum festorum ordinem turbassent vituperavit, his verbis pergit: ἀνθ' ὧν λαχὼν Ὑπέρβολος | τῆτες ἱερομνημονεῖν, κἄπειθ' ὑφ' ἡμῶν ... | τὸν στέφανον ἀφῃρέθη.

Av. 534. Pithetaerus rationem, qua homines aves assent, sollertem magna cum indignatione explicat: τρίψαντες | κατα-

---

[1]) v. Kock. ad Nub. v. 409.

[2]) vid. Heindorf. ad Phaed. § 89; Stallbaum. ad Gorg. p. 457 b; Kühner. ad Xen. Comm. I 1, 5; Bäumlein Partikeln p. 113; Kühner. Gr. Gr. §§ 486 ann. 8 et 524, 1.

[3]) v. Kock. ad h. l.

χυσμάτιον γλυκὺ καὶ λιπαρὸν | κἄπειτα κατεσκέδασαν θερμὸν | τοῦτο καθ' ἡμῶν.

Minori offensioni sunt particulae *εἶτα, ἔπειτα, οὕτως, ὧδε* cum participiis coniunctae. At cum structurae cursum, ut animus legentis maiore vi ad ea quae sequantur intendatur, quasi retineant, huc videntur pertinere, praesertim cum in *εἶτα* et *ἔπειτα* insit notio annectendi, quae participio verbo finito subiecto contraria est.

Similes structurae et apud Aristophanem et alios scriptores et poetas Atticos usitatiores sunt; etiam apud Herodotum inveniuntur[1]); ab Homero autem plane absunt[2]).

Aristophanis exempla, quae satis multa eaque simpliciora sunt, quam ut unius cuiusque verba exscribere opus sit, haec sunt:

1. *εἶτα* post participium concessionem significans (dennoch) Ach. 291[3]), Ran. 543[4]).

In locis in quibus participium cum negatione coniunctum est, illud ipsum vertimus particulis: ohne dass; *εἶτα* autem voce: doch. Qui loci sunt Nub. 172, Thesm. 564, Ran. 205, Eccl. 789, Plut. 910.

In plurimis quae huc pertinent exemplis particula *εἶτα* tantum ad temporis ordinem aut ad consecutionem significandam additur.

a) Atque ordo temporis significatur in vv. Ach. 1165 sq., Eq. 281. 432, Nub. 386. 592, Vesp. 284[5]). 379. 423. 1072, Pac. 284. 745, Av. 360. 1111. 1619, Lys. 308. 976, Plut. 799 (ubi verba *ἐπὶ τούτοις*, quae ad infinitivum *γελᾶν* pertinent, antecedunt), denique in versu fabulae, quae inscribitur Senectus, apud Pollucem 4. 180 servato (181 Dind.) *ὀφθαλμιάσας πέρυσιν εἶτ' ἔσχον κακῶς.*

---

[1]) cf. Porson. ad Eurip. Phoen. 1278 p. 338; Kidd. Daw. p. 525; Kühneri exempla § 486 ann. 5 et 8; Krüger I § 56, 10, 3.

[2]) Krüger II § 56 ann. 1.

[3]) Reisig, Conj. p. 211 coniicit *ἔπειτα.*

[4]) v. Devar. de gr. ling. part. p. 77.

[5]) *διὰ τοῦτον δ' ὀδυνηθεὶς | εἶτ' ἴσως κεῖται πυρέττων*: Richteri mutationem, quia a libris nimis recedit, reiiciendam esse arbitratus sequor Reisig. Conj. p. 51.

b) Consecutio apparet in vv. Ran. 367 [1]), Thesm. 540 sq., quibus in locis particula εἶτα nostris vocibus: so, demgemäss aptissime exprimitur.

2. ἔπειτα post participium

a) concessionem significans, ut vertendum sit nostro „dennoch". Ach. 497, Nub. 1042, Av. 29, Thesm. 557. 559, Eccl. 296.

3. οὕτως Av. 717, Plut. 321.

4. ὧδε Nub. 771.

Separatim versus Ach. 23 sq. commemorandi sunt, ubi structura mirum in modum atque magnopere insuetum particula εἶτα cum δέ coniuncta interrumpitur. Dicaeopolis in prologo otio cruciatus· *οὐδ' οἱ πρυτάνεις*, inquit, *ἥκουσιν, ἀλλ' ἀωρίαν | ἥκοντες, εἶτα δ' ὠστιοῦνται πῶς δοκεῖς | ἐλθόντες ἀλλήλοισι περὶ πρώτου ξύλου.*

Hanc anacoluthiam, cum reliqua, quae supra attuli, huius generis exempla, in quibus εἶτα, ἔπειτα similia participia sequuntur, linguae graecae ipsius propria sint, a poeta consilio adhibitum esse putaverim, praesertim cum alibi similia non invenerim. Certe enim poeta structura primum participio retardata, tum vero particulis εἶτα δέ quasi remissa magistratuum festinationem verbis etiam pingere volebat.

Nonnullis denique locis εἶτα et ἔπειτα ante participia posita sunt,[2]) quod alibi non videtur inveniri.

Apud Aristophanem autem illae voces ante participia et ita ponuntur, ut simplicem consecutionem incohent et ita, ut, cum participia concessionem significent, nostra voce „dennoch" vertenda sint.[3]) Illud fit in vv. Nub. 860[4]) sq., ubi Strepsiades ad filium dicit: *εἶτα τῷ 'πατρὶ | πειθόμενος ἐξάμαρτε* pro *πειθόμενος τ. π. εἶτα ἐξάμ.* et Plut. 1004 *ἔπειτα πλουτῶν οὐκέθ' ἥδεται φακῇ*, quae verba Chremylus dicit adulescentis prudentiam laudans.

Hoc animadverti in v. Lys. 654, ubi chorus mulierum

---

[1]) cf. Devar. p. 78.

[2]) Falso igitur Krügerus Gr. Gr. I § 56, 10, 3 etiam εἶτα et ἔπειτα non nisi port participia poni contendit.

[3]) cf. Bäumlein. Partik. p. 112.

[4]) v. Hermann. ad Vig. p. 772.

viros opprobiis obruens haec etiam dicit: *εἶτ' ἀναλώσαντες* (scil. *τὸν ἔρανον ἐκ τῶν Μηδικῶν*) *οὐκ ἀντεισφέρτε τὰς εἰσφοράς.*[1]) Nub. 1249 *ἔπειτ' ἀπαιτεῖς τἀργύριον τοιοῦτος ὤν.*[2]) Av. 911, ubi Pithetaerus poetam, qui Musarum servum se esse dicit, interrogat: *ἔπειτα δῆτα δοῦλος ὢν κόμην ἔχεις;* Plut. 1048 Carion cum admiratione a Mercurio quaerit: *ἔπειτ' ἀπολιπὼν τοὺς θεοὺς ἐνθάδε μενεῖς;*

Annot. V. Av. 787, quem locum ut iis, quos modo enumeravi, similem Blaydesius ad Lys. 654 commemorat, minime huc pertinere arbitror, sed *εἶτα* pro *εἶτα δέ* positum esse puto, quod non raro apud Aristophanem iuvenimus, praecipue vocibus *μέν* vel *πρῶτον μέν, πρῶτα μέν* simil. praemissis ut in Eq. 520, Nub. 66. 963, Lys. 574, Ran. 1063. 1189, Ach. 995, Nub. 609. 1117, Vesp. 115. 1104, Pac. 605, Av. 114. 588 et multis aliis locis. —

Denique monendum est particulas *εἶτα* et *ἔπειτα*, ubi in interrogationibus admirationis et indignationis notionem exhibentibus („und da") usurpantur, ut in vv. Nub. 1249, Plut. 79, ad participia sequentia referre non opus esse[3]); exstant enim illae particulae etiam in eiusmodi interrogationibus, quae sine participio conformatae sunt, cuius structurae exempla videas apud Kühnerum (Gr Gr. § 587. 15) et Zeunium (ad Viger p. 397 b.)

Sed haec hactenus. Vellem quidem omnes observationes de Aristophanis usu anacoluthiarum a me factas in uno volumine collectas edere me potuisse, praesertim cum complura genera quae poetae nostri usum dicendi in primis illustrant, velut anacoluthiae particulis inter se non accurate respondentibus exortae, de quibus iam supra (p. 62) dixi, structurae in eadem sententia mutationes, temporum in eadem enuntiatione varietates, orationis directae in obliquam transitus et contra, aposiopesis quae vocatur et prolepsis, nonnulla denique brachylogiae genera in hanc particulam non recepta sint. Sed omnia coniunctim emittere mihi non licuit. Itaque reliquam observationum partem alia occasione oblata edam.

---

[1]) cf. Brunckii ad h. l. annot. [2]) v. Kock ad h. l.

[3]) cf. Klotz. ad. Devar. pag. 540, qui exempla similia e Ciceronis scriptis affert (Tusc. I 29, 71; Lael. 15, 53).

VITA.

Natus sum Franciscus Ferdinandus Adolfus Brinkmann a. d. VI. Cal. Aug. a. h. s. LV. Wernigerodae Saxonum patre Philippo, matre Carolina e gente Rose oriunda, quos adhuc superstites summa pietate colo. Fidei addictus sum evangelicae. In urbe patria et elementis literarum imbutus et in gymnasio, cuius directori Bachmann et praeceptoribus, in primis Ebeling, Göbel, Gottschick, Fischer, Hertzer, magnam habeo gratiam, ad artes liberales eruditus sum. Maturitatis testimonium adeptus eam reipublicae partem, quae ad vectigalia administranda pertinet, capessivi et publico examine probatus sum. Sed studio literarum magis magisque aucto incitatus, ut artibus philologicis operam darem, vere anni LXXVIII Marburgium me contuli, ubi scholas audivi, quas habuerunt Bergmann, Birt, Caesar, Justi, Lucae, Niese, L. Val. Schmidt, a Sybel; Birt, Lucae, Niese, a Sybel, ut excercitationibus Latinis, theodicis, historicis, archaeologicis interessem, benique permiserunt. Deinde uno anno peracto Berolinum transmigravi, ubi per duo semestria scholis interfui virorum doctorum Althaus, Geiger, Hübner, A. Kirchhoff, Mullach, Robert, Scherer, Schmidt, a Treitschke, Wattenbach, Zeller. Tum vere a. h. s. LXXX. accademiam Halensem adii, ubi per tria semestria scholis me docuerunt Dittenberger, Dümmler, Haym, Hertzberg, Hiller, Keil, Kramer, Krohn, Zacher. Per duo semestria particeps fui seminarii philologici exercitationum, per unum fui sodalis ordinarius. Praeterea E. Hiller ad exercitationes philologicas ab eo institutas benigne me admisit.

Quibus omnibus viris illustrissimis, maxime autem Hillero, optime de me merito, maximas ago gratias et semper habebo.

Formis descripsit Bernh. Angerstein, Wernigerode.